

einustellen
L
W

24

DE
CONJUGIO
THESES THEOLOGICÆ

Ex
JOHANNIS MUSÆI, S.S. TH. D.
& in Academia Jenensi Prof. P.

Prælectionibus,
publicis & privatis,
desumptæ, & uberius deductæ,

Quas,
sub ejusdem præsidio,
ventilationi publicæ submittit

M. JOHANNES Beland / Verdensis,

ad d. Mart. Ao. M. DC. LXXV.

In auditorio Theologico.

J E N Æ,

Typis JOHANNIS JACOBI BAUHOFERI, 1702.




DE
CONJUGIO
THESES THEOLOGICÆ

JOHANNIS MUSÆI S. TH. D.
& in Academia Jenensi Prof. P.

M. JOHANNES SEBASTIUS VERDENIS

JENÆ
JACOBI BUCHHOLDII





DE CONJUGIO

THESES.

I.

IN prima rerum omnium productione fecit DEUS animantia omnia bina, masculinum & foeminam, cum insito naturali instinctu & propensione in procreationem sobolis, ad sui multiplicationem & speciei cujusq; conservationem. Quamobrem benedixit illis: *Crescite, inquam, & multiplicamini, Gen. I. 22, 26, 28.*

II. Quemadmodum autem ex omnibus unum & solus homo ratione pollet, & Conditoris sui imaginem gerit; ita ejus naturæ Deique æternæ legi consentaneum est, ut quod bruta solo naturæ instinctu faciunt, ipse cum ratione faciat, atq; adeo ut conjunctio maris & foeminæ ad procreationem sobolis, quæ in brutis animantibus inordinata & promiscua commixtio est cujusq; maris cum quavis foemina suæ speciei, in hominibus ordinata & regulis honestatis, ut naturæ rationali convenit, circumsepta sit.

III. Hæc juxta præscriptum rectæ rationis instituta conjunctio maris & foeminæ, uno verbo, CONJUGIUM dicitur, à communi, ut Auctores volunt, jugo, cui colla, quasi subdunt, qui illud ingrediuntur. Ut enim par boum jugo; ita illi vinculo conjugali combinantur, constituunturq; socii curarum, laborum & molestiarum, cum in educandis liberis, tum in administranda re familiari, crucis item & calamitatum, quæ statum conjugalem comitan-

rantur, & jugi instar onerant. Dicitur & MATRIMONIUM, à fine primario, qui est procreatio liberorum. Propterea enim mulier nubit viro, ut pariend^o liberorum mater fiat; & vir ducit uxorem, ut eandem, per generationem, liberorum matrem faciat.

IV. Potest autem conjugium considerari vel *abstractive*, sive in se & sua natura, prout denotat statum conjugum, certa ratione institutum, & sancitum; vel *concretive* & ex parte conjugum, prout ab illis contrahendum aut contractum est.

V. Conjugii, modo priori spectati, causa efficiens est solus DEUS, qui illud instituit, cum *verbis expressis*; tum per *instinctum* & *principia*, hominis natura insita.

VI. *Verbis expressis* quidem in ipsis primis Protoplastorum nuptiis. Juncturus enim eos matrimonio, dixit: *Relinquet vir patrem suum & matrem suam, & adheret uxori suae, & erunt in carnem unam, Genes. II. 25.* Quae ipsius DEI verba esse, diserte testatur CHRISTUS, quando Pharisæis, liceatne homini dimittere uxorem suam qualibet ex causa? quærentibus, respondet: *Annon legistis, quod is, qui fecit, ab initio (hominem) masculum & foemina fecit eos, & dixit, propterea relinquet homo patrem & matrem, & agglutinabitur uxori suae, & erunt duo in carnem unam, Matth. XIX. 4.5* sive immediate à DEO, sive mediate per Adamum, DEO suggerente, prolata sive deniq; à Mose, DEO inspirante, ita consignata esse dixeris. Quae in re, ut interpretes variant, ita nos nunc operosi esse nolumus.

VII. Iis vero vero verbis sancivit DEUS, ut conjunctio maris & foeminæ in hominibus non, ut in brutis animalibus, inordinata & vaga sit, sed ut quisq; vir suam certam habeat uxorem, iiq; animis inter se juncti sint, ita arcte, ita constanter & perseveranter, ut vir, desertis pa-
ren-

5.
rentibus, uxori suæ adhæreat, sive ut LXX. interpretes,
& eos seipsum ipse Christus adhærendi verbum reddide-
runt, *agglutinetur*, & cum ea in unam carnem quasi coa-
lescat.

VIII. *Per naturam instinctum vero & insita principia*
DEUS instituit conjugium in ipsa prima creatione. Con-
didit enim hominem cum naturali propensione in soci-
etatem conjugalem, & cum insitis rationi principiis,
quorum ductu eam talem, qualis postea expressis verbis
instituta est, esse oportere; brutorum vero animantium
vagam conjunctionem, qua promiscue quivis mas cum
quavis femina suæ speciei, ad procreationem sobolis cœ-
unt, & postea recedunt, naturam rationalem non dece-
re, certo cognoscat.

IX. Ad causam efficientem conjugii, in se & natu-
ra sua spectati, pertinet etiam, quod statum conjugalem
DEUS certis legibus, cum naturæ hominis implantatis,
tum per Moysen populo Israelitico promulgatis, circum-
scripsit, & quas personas in unam carnem jungi conve-
niat, aut non conveniat, determinavit.

X. Conjugii vero, concretive & ex parte conjugum,
ut contrahendum aut contractum est, spectati causa effi-
ciens & DEUS est & ipsi conjuges.

XI. Et conjuges quidem causa ejus efficiens proxi-
ma sunt, & concurrunt ad illud constituendum efficien-
ter per *mutuum consensum*. Conjugium enim sua intrinse-
ca natura est contractus quidam, & quemadmodum
contractus omnis; ita & illud mutuo contrahentium
consensu, initur. Conjuges igitur, sive mas & femina,
ad DEI præscriptum & rectæ rationis ductum, in sui con-
junctionem, ad mutuum vitæ consortium consentientes,
per consensum suum conjugii sui causa efficiens sunt,

illorumque consensus mutuus est ipsa causalitas, sive ratio formalis, qua in esse causæ efficientis illius constituntur. Hinc tritum illud: *Consensus facit nuptias*.

XII. Causa $\pi\epsilon\gamma\gamma\epsilon\upsilon\mu\epsilon\nu$ sive impulsiva interna, ex parte sexus utriusq; est naturâ insita propensio ad procreationem sobolis, & mutuam vitæ consortium. Quæ ut esset sincerior & constantior, fecit DEUS mulierem, non ut virum, ex terra, sed ex costa viri, adeoq; carnem de carne viri, & os de ossibus ejus. Unde Adam, simul ac eam vidit, naturâ sibi insito instinctu ductus, in hæc erupit verba: *Hæc vice demum os de ossibus meis, & caro de carne mea; hæc dicetur vir, quia ex viro desumpta est, Genes. II. 23.*

XIII. Ad causam impulsivam internam, ex parte conjugum, jam in statu corruptionis, pertinent etiam concupiscentie motus inordinati, & libidines vagæ, sexui utriusq; vitandæ, quæ tamen absq; honesto conjugio vitari non possunt, nisi ab illis, quibus continentia donum, raro exemplo, divinitus contigit. Non enim omnes capere verbum hoc, vox Christi est, quam abunde comprobatur experientia. Unde bene Paulus: *propter scortationes, inquit, suam quisq; uxorem habeat, & suum quæq; virum habeat, I. Cor. VII. 2.*

XIV. Causa $\pi\epsilon\pi\omicron\upsilon\lambda\alpha\gamma\epsilon\iota\mu\epsilon\nu$ sive impulsiva externa est indigentia & necessitas mutui adjutorii, cum ad procreandam sobolem, tum ad vitam bene degendam. Neque enim vir absq; muliere liberos procreare, neq; hæc absq; illo consepere & parere potest. Neque etiam ille absque hac vel hæc absq; illo in cæteris bene vitam degere potest, sed necesse est, ut ubique operas jungant mas & fœmina, & sibi invicem adjumento sint. Quo intuitu dicebat DEUS: *Non est bonum hominem esse solum: faciam ei adjutorium, quod sit eorum co, Gen. II. 18.*

7.
XV. DEUS vero conjugii, concreate & ex parte conjugum spectati, causa efficiens est modis diversis. Et primo quidem ejus causa efficiens est ratione *instinctus* & *amoris*, quo mas in foemina ad procreationem sobolis & mutuum vitae confortium propent, & ad ineundum inter se conjugium moventur. Hic enim efficienter a DEO est. Sed hoc intuitu DEUS saltem conjugii causa remota est. Deinde DEUS ejusdem causa efficiens est ratione sui influxus generalis, quo, ut cum secundis causis omnibus ad producendos suos effectus, ita & cum personis, matrimonium contrahentibus, ad illud contrahendum concurrat. Sed de causa prima & universali conjugii quaestio hic non est. Tertio DEUS est etiam causa efficiens illius ratione sui specialis influxus, quo corda contrahentium flectit, dirigit & gubernat; Viri quidem, ad seligendam sibi conjugem aptam, piam scilicet pudicam, prudentem, moderatam; foemellae autem, ad nubendum viro probo, prudenti, moderato, sibiq; ad conjugium pacatum, vitamque cum eo feliciter degendam idoneo, vel saltem occasionem suggerit ad commodum matrimonium contrahendum, juxta illud *Salomonis*: *Uxor proba (intelligens) a Domino est*, Prov. XIII, 12.

XVI. Ita autem DEUS causa conjugii efficiens saltem inadaequata est, cujus influxu posito, non necessario ponitur conjugium. Utenim alias gratia divina voluntati hominis non imponit necessitatem, sed libertatem ad oppositum ei relinquit, ita & in contrahendo matrimonio DEUS dirigendo flectendoq; hominis voluntatem in certam, quandam personam, vel suggerendo occasionem ad ineundum cum ea matrimonium, non adimit ei liber-

libertatem ad ducendam aliam, vel ad nubendum alii. Neque ad omnium conjugia DEUS ita efficienter concurrit, sed tantum ad conjugia fidelium ac piorum, & qui precibus devotis uxorem piam, prudentem, castam & pudicam, ab ipso petunt. Est enim hæc divina cordium humanorum directio quædam gratiosa DEI operatio, quæ in impiis & gratiæ divinæ contemptoribus locum non invenit. Ad improborum vero conjugia contrahenda habet se DEUS, quantum ad concursum specialem attinet, tantum permissive, concedendo, non impediendo, non prohibendo, ut sui cordis ductum sequuti viri ducant uxores, quas velint, & fœminæ nubant, quibus velint. Quandoque etiam in præcedentium peccatorum penam infelicia conjugia DEUS permittit.

XVII. Cæterum ut firmum & ratum contrahatur conjugium, ex parte causæ efficientis proximæ, maris scil. & fœminæ, requiruntur in primis duo. Unum, ut ex parte utraq; consensus liber sit, non alterutri vel utrique parti vi metuve extortus, aut ex ignorantia personæ, vel circumstantiæ, fini primario conjugii directe adversantis, profectus. Alterum, ut sui juris sint, qui consensu mutuo conjugium initura sunt. Quæ ut generalia, & ad quemvis contractum ratum necessaria requisita sunt, ita cum primis ad conjugium, velut contractum de re maximi momenti, & à quo partis utriusq; temporalis felicitas aut miseria dependet, maxime requiruntur.

XVIII. Quod si non sui juris, sed in parentum, vel eorum, qui ipsis loco parentum sunt, potestate adhuc constitui sint, tum soli conjugium firmum ac ratum contrahere non possunt, sed res ipsa exigit, ut illorum parentes quoque, vel qui illis loco parentum sunt, in partem

tem

tem causæ veniant, & utrique junctim conjugii causam efficienter in completam suo consensu constituent.

XIX. Requiritur autem parentum consensus non tantum de honestate, & ut licitum sit conjugium, ut Pontificii volunt; sed etiam de necessitate, & ut ratum ac firmum sit. Quod usque adeo in jure divino etiam fundatum est, ut virgo compressa stupratori, ut ut ambo in matrimonium consentiant, dissentiente patre, matrimonio jungi non possit, *Exod. XXII. v. 10.*

XX. Consensus contrahentium consistit quidem formaliter in internis actibus voluntatis, sed per externam eamque mutuum promissionem de cohabitatione conjugali declaratis. Soli enim actus interni voluntatis ad contrahendum matrimonium non sufficiunt, sed necesse est, ut promissio mutua de cohabitatione conjugali, verbis significantibus concepta, accedat, quæ consensum voluntatis partes contrahentes sibi invicem declarent. Quamobrem etiam consensus contrahentium non tam per internos actus voluntatis, quam per externam promissionem, definiri solet.

XXI. Quamvis verò consensus ille promissione mutuâ declaratus, ex parte contrahentium, oppidò inducat vinculum conjugale, & conjugium constituat; tamen quæ hinc nascitur partium conjunctio, ex vulgari loquendi consuetudine, *sponsalium* potius quam *conjugii* nomine venit, vel certè absolute *conjugium* non dicitur, sed cum apposito, *conjugium contractum*. Quæ consuetudo inde traxit originem, quòd ab Ecclesia ordinatum sanctumque est, ut qui conjugium mutuo consensu contraxerunt, in conspectu & facie Ecclesiæ prius loco & nomine DEI copulentur, præcibusque devotis & benedictione, conjugio divinitus impertira, ritu solenni inaugurentur, quàm conjugam more cohabitare, & ipsa officia conjugalia sibi invicem præ-

stare permittantur. Quà copulatione peractâ demum conjuges; ante eam verò *Sponsus & Sponsa* dicuntur; & ipse inter eos initus contractus, ante copulationem & benedictionem Sacerdotalem, *sponsalia*; eâ autem accedente conjugium & nuptiæ appellatur.

XXII. Hæc Ecclesiæ constitutio, ut pia & sancta est, ita suas graves habet causas. Primum enim copulatione sacerdotali solenni monentur novelli conjuges, Deum esse conjugii Auctorem, & eum ipsum jungere illos vinculo indissolubili in carnem unam, juxta illud Christi: *Quod Deus conjunxit, homo ne separet, Matth. XIX, 5.* Deinde quò omnia fiant ordine ac decenter, & ut publicè constet, conjuges novos non misceri inter se inordinate, & absque prævio consensu conjugali, testantur hoc ritu, coram Deo & Ecclesia, se inire matrimonium divinæ institutioni conformiter, & consentire inter se, absque furo aut dolo, sincerè in mutuam & perpetuam cohabitationem conjugalem. Tertio præmonentur etiam de divina benedictione, in prima institutione conjugio impertita, deque sine conjugii, & officii conjugalibus; & denique de commodis & incommodis, conjugium comitantibus, Deoque conjugii Auctori, precibus devotis commendantur. Quamobrem ritus hic merito in Ecclesia retinendus, sanctè observandus est, potestque referri ad causam efficientem conjugii, non quidem contrahendi: contrahitur enim solo consensu, uti dictum; sed consummandi.

XXIII. Alias *sponsalia* distinguuntur à *Conjugio contracto*, & accipiuntur in significato strictiori pro consensu de futura cohabitatione conjugali, promissione mutua declarato, definiunturque *Leg. i. ff. de spons. quod sint mentio & repromissio nuptiarum futurarum & in Jure Canon. cap. Nostrates. c. XXX. q. v. quòd futurarum sint nuptiarum promissa* Quamvis non desint, præsertim inter Canonistas & Theologos modernos, qui sponsaliorum nomen latius extendant,

dant, & ejus ambitu etiam conjugium contractum, sed benedictor & sacerdotali, & copula carnali nondum consummatum comprehendant, & sponsalia duplicia faciant: de presentia; alia de futuro. Quae de re ut pluribus nunc agamus, instituti nostri ratio non permittit.

XXIV, Ex consensu contrahentium mutuo, eoque de praesenti, oritur obligatio conjugum mutua ad fidem & officia conjugalia, quae vulgo dicitur *vinculum conjugale*, estque relatio quaedam, in actu consentiendi fundata, & ex eo resulans, per quam mas mariti, & foemina uxoris rationem & denominationem sortitur, & haec illius *uxor*; ille hujus *maritus* formaliter constituitur. Quae, uti patet, non physicum, sed morale vinculum est, in conjunctione animorum positum. Et si vero copula carnalis etiam & corporum conjunctio quaedam physica inter conjuges intercedit, ea tamen in solo generationis actu intervenit, estque actio transitoria, quae ad ipsam rationem formalem & constitutionem conjugii non pertinet, sed ejus consequens & effectus est, juxta illud tritissimum: *Consensus facit nuptias, non concubitus*. Vinculum conjugale autem permanens est, & cessante etiam copula carnali & conjunctione corporum, perdurat.

XXV. Gregorius de Valentia Tom. IV. Disp. X. q. I. p. I. & quem sequutus est, Becanus part. III. Theol. Schol. Tr. II. c. XLIII. q. I. distinguunt inter mutuam conjugum obligationem, ex consensu ortam, & inter vinculum conjugale. In matrimonio, inquit Becanus, quinque spectari possunt. Primum ipse contractus seu actus contrahendi, qui consistit in mutuo consensu, explicato per verba de praesenti. Secundo ex illo contractu oritur mutua utriusque obligatio ad actus conjugales, qui ad procreationem & educationem liberorum pertinent. Tertio in hac obligatione fundatur quaedam conjunctio seu vinculum animorum utriusque conjugis, quod non consistit in amore & caritate, sed in quadam

unione, quæ consequitur mutuam obligationem, & facit, ut duo conjuges, indissolubili vinculo connexi, sicut quæsumum principium in ordine ad procreationem prolis &c. sicut illi, sed perperam. Nam mutua conjugum obligatio, mutuo consensu contracta, & conjunctio illa sive vinculum illud animorum utriusque conjugis, nihil quicquam differunt. Quemadmodum enim in omni contractu, ita & in contractu conjugali obligatio, ex consensu mutuo orta, ex parte contrahentium habet rationem vinculi, quo constringuntur & constricti quasi tenentur illorum animi ad illud ipsum, in quod per promissionem mutuam consensere, servandum. Consentiunt autem inter se conjuges in contractu conjugali in individuam vitæ consuetudinem, ad procreationem sobolis & mutuum vitæ adjutorium. Obligatio mutua igitur, mutuo consensu inter conjuges contracta, sua intrinseca natura est vinculum, quo inter se constringuntur & quasi constricti tenentur illorum animi ad individuam vitæ consuetudinem, procreandæ sobolis & mutui adjutorii causa. Vinculum autem, quo constringuntur inter se & quasi constricti tenentur conjugum animi ad individuam vitæ consuetudinem, quid aliud est, quam vinculum conjugale? Obligatio mutua igitur, ex mutuo conjugum consensu orta, & vinculum conjugale non differunt. Quod nec Valentia differtur, qui *d. l. expressè* addit, vinculum illud *consideratione tantum differt ab illa mutua obligatione*: & rursus *re non differt* (vinculum illud) *ab ipsa obligatione contractus*. Quanquam nec, cur ratione differre dicantur, causam video.

XXVI. Dicat quis: Obligatio mutua est ex consensu contrahentium mutuo: sed vinculum conjugale est à Deo, juxta illud Christi: *Quod Deus conjunxit, homo ne separet, Matth. XIX. 6.* Ergo mutua conjugum obligatio & vinculum conjugale differunt realiter.

XXVII.

XXVII. Resp. Obligatio mutua conjugum est & ex consensu illorum, & à Deo. Consentunt enim conjuges in contractu conjugii in individuum vitæ consuetudinem, ad procreationem prolis & mutuum vitæ adiutorium, obligantque se alter alteri ad eandem vi divinæ institutionis; & Deus, conjugii Auctor, conjugit sive copulat eosdem, mediante illorum consensu, juxta ipsius institutionem inito, per obligationem, ex illo resultantem, velut per vinculum formale. Ex parte causæ efficientis igitur differunt, sed qua ratione hoc, ea & illa à Deo; & qua ratione illa ex consensu contrahentium, eâ & hoc ex illo est.

XXVIII. Sitne autem vinculum conjugale entitas quædam absoluta? an relativa? Et si relativa entitas est, consistatne in relatione reali? an rationis? fortè quis dubitaverit. Ad quam dubitationem tollendam dicimus, vinculum conjugale consistere formaliter in relatione. Per illud enim constituuntur conjuges formaliter in esse correlatorum. Quod enim pars altera maritus, altera uxor, & hæc illius uxor, ille hujus maritus est, id habent formaliter à vinculo conjugali. A quo autem duo correlata formaliter habent, quod correlata sunt, id formaliter relationem esse necesse est. Est ergo vinculum conjugale relatio mutua, ex mutuo consensu resultans, qua se invicem conjuges respiciunt ut ii, qui consensu mutuo ad individuum vitæ consuetudinem officiaque mutua, maritalia quidem uxori vir, uxoria autem viro mulier sese obligarunt, & qua ille in esse mariti; hæc in esse uxoris formaliter constituitur: ut ita vinculum conjugale formaliter relatio; actus consentiendi autem ejus fundamentum proximum sit. Et quia actus consentiendi, ex quo velut fundamento proximo relatio resultat, reale quid est, relatio ipsa etiam non rationis, sed realis relatio est, ut ut à suo fundamento realiter non differat.

XXIX.

XXIX. Sed hinc rursus quis forte objiciet, vinculum conjugale durare per totam conjugum vitam: actum consentiendi autem expirare, ubi voluntas ab operatione cessat. Quin contingere quandoque, ut exortis diffidiis cohabitare nolint, qui semel in individuum vitæ confortium consenserant, vinculo conjugali manente. Ergo consensum conjugalem & vinculum conjugale non differre ut fundamentum relationis, & relationem, inde resultantem, sola ratione, sed realiter. Quorum enim unum esse potest absque altero, ea differre utique realiter.

XXX. Resp. I. ad fundandam relationem, quæ maneat, posse sufficere actum præteritum, uti patet inductione exemplorum. Paternitas fundatur in actu generationis, qui etsi actus transiens est, relatio tamen, ex eo resultans, manet, dum filius manet, licet generationis actus dudum præterierit: & relatio subditi ad Magistratum fundatur in homagio, Magistratui præstito, quæ manet, licet actus homagii dudum præterierit. II. Actus consentiendi in conjugio & alio quovis contractu actus moralis est. Actuum moralium autem ea est ratio, ut moraliter censeantur manere & perdurare, quamdiu à contrahentibus habentur rati, nec ab iisdem retractantur. Quamvis verò in contractibus aliis consensus, semel initus, subsequente partis utriusque dissensu rescindi & moraliter aboleri possit, contractus conjugii tamen præ aliis omnibus hoc peculiare habet, ut ne mutuo quidem contrahentium dissensu rescindi & moraliter aboleri possit consensus conjugalis, semel initus, sed ut irrevocabilis sit & maneat, dum conjuges supersunt, quod sufficit ad fundandam relationem, quæ vinculum conjugale permanens & ad mortem usque conjugum durans constituat.

XXXI. Quod ut rectius intelligas, repetendum hic ducimus, quod diximus supra §. IV. Conjugium atq; adeò ipsum

ipsum etiam vinculum conjugale posse considerari dupliciter: uno modo quod speciem; altero quoad exercitium actus. De eo, in exercitio actus spectato, egimus modo, ostendimusque, illud induci per mutuum contrahentium consensum. Neque tamen à consensu contrahentium, præcisè spectato, suum esse specificum habet. Aliàs enim, sicut mutuo conjugum consensu contrahitur, ita mutuo eorundem dissensu dissolvi posset. Ostensum enim hæcenus est, illud fundari in actu consentiendi, qui uti dictum, quoad suam entitatem physicam non est aliquid permanens, sed ut cæteri actus voluntatis elicit, ubi cogitationes ab objecto avertuntur, expirat. Quamvis verò moraliter censeatur manere, quamdiu non subsequente partis utriusque pœnitentia retractatur, tamen ubi pœnitentia sequitur, potest dissensu mutuo retractari, & moraliter aboleri. Quod commune est omnibus actibus consentiendi, in quantum se ex parte humanæ voluntatis habent, ejusque solius actus sunt. Eo autem retractato, & moraliter abolito, cessat etiam obligatio partium contrahentium, ex illo resultans, Unde si vinculum conjugale præcisè ex solo conjugum consensu suum esse specificum haberet, eo à parte utraque per mutuum dissensum retractato & abolito, similiter cessatura esset mutua conjugum obligatio, atque adeò ipsum vinculum conjugale. Sublato enim fundamento relationis, relatio ipsa tollitur: cum ab eo realiter non differat. Quia autem in conjugio res secus habet, & vinculum conjugale nudo & solo conjugum dissensu solvi non potest, consequens est, illud non dependere à solo conjugum consensu, in suo esse specifico.

XXXII. Dependet ergò in suo esse specifico in solidum à Deo, conjugii auctore, & ab ejus institutione, partim in prima creatione hominis naturæ implantatâ, partim in ipsis primis Protoplastorum nuptiis verbis expressis promulgata.

XXXIII.

XXXIII. Et in institutione quidem conjugii, verbis expressis à Deo promulgatâ, sancitum est, ut vir desertis parentibus adhæreat uxori suæ, & sint in carnem unâ. Verba primævæ institutionis sunt: וְהָיוּ לְבָשָׂר אֶחָדָה וְהָיוּ לְעוֹלָם בָּרֶכָה וְהָיוּ לְבָשָׂר אֶחָדָה

וְהָיוּ לְבָשָׂר אֶחָדָה וְהָיוּ לְעוֹלָם בָּרֶכָה וְהָיוּ לְבָשָׂר אֶחָדָה
 Propterea deseret vir patrem suum & matrem suam, & adheret uxori suæ; & erunt in carnem unam Gen. II, 24. Ubi LXX. interpretes phrasin וְהָיוּ לְבָשָׂר אֶחָדָה & adheret uxori suæ, reddidère: καὶ προσκολληθήσεται τῇ γυναίκὶ αὐτοῦ & agglutinabitur uxori suæ. Quos & Christum sequutus est Matth. XIX. 5. & Marc. X. 7. quando primævam conjugii institutionem repetiit & uberius declaravit. Est autem προσκολληθῆναι glutine conjungi, & per metaphoram arctissimè alicui adhærerè, sicut quæ glutine conjuncta sunt, alterum alteri adhæret. Eodem pertinet, quod additur: וְהָיוּ לְבָשָׂר אֶחָדָה, & erunt (vir & uxor ejus) in carnem unam, h. e. caronam. Quæ utique de vinculo conjugali, mutuo conjugum consensu contracto, loquuntur, idque vinculo naturali inter parentes & liberos, per carnalem generationem contracto, arctius, neque minùs, quàm hoc indissolubile esse significant, quippe quo vir à parentibus, à quorum carne carnem traxit suam, & ab illorum domo, cujus pars erat, & in qua enutritus & educatus fuit, avellatur quasi, & cum uxore in unam carnem jungatur, suamque propriam domum constituat; & quo uxor similiter à suis parentibus, à quorum carne carnem suam accepit, quasi avulsa cum marito in unam carnem jungatur, atque è domo paterna, cujus partem constituebat, & in qua enutrita & educata fuit, in mariti domum transeat, quam postea etiam corporibus juncti, & unum completum generationis principium constituentes, procreatione sobolis auctiorem reddant. Neque remissior, sed intensior potius est animorum mutua propensio & amor reciprocus, qui

qui vinculum conjugale ex parte conjugum, quam qui vinculum naturale ex parte parentum & liberorum comitatur. *Parentes diligunt liberos, ut seipsos: sunt enim liberi ut alteri ipsi; & liberi diligunt parentes, ut qui ex illis nati sunt,* dicente Philosopho VIII. Nic. c. XII. conjuges similiter diligunt se invicem, ut suam carnem. Quamobrem & Paulus comparat amorem mariti erga uxorem cum amore sui ipsius & suæ propriæ carnis, jubetq; ut vir diligat uxorem, sicut se ipsum, & ut suum ipsius corpus: *Sic, inquit, debent viri diligere uxores suas, ut sua ipsorum corpora: qui diligit uxorem suam, seipsum diligit, Eph. V, 28. Est autem dilectio sui ipsius omnium sincerissima, & omnium constantissima, Nemo enim unquam suam ipsius carnem odio habuit, sed enutrit ac fovet illam,* dicente Apostolo laudato d. l. v. 29. Eundem comparat ibidem cum amore Christi erga Ecclesiam, jubetque, ut uxor marito ex amore & reverentia erga eum subdita sit, sicut Ecclesia Christo, & ut maritus vicissim diligat uxorem, sicut Christus dilexit Ecclesiam, & semet ipsum tradidit (in mortem) pro illa v. 24. 25. Non autem dari vel cogitari potest amor sincerior & constantior, quam amor Christi erga Ecclesiam, quo ejus servandæ causa, ultro mortem subiit, & vitam, quam nihil charius, perfudit.

XXXIV. Vi ergo institutionis primævæ conjugii, à Deo verbis expressis promulgatæ, vinculum conjugale, mutuo conjugum consensu contractum, tam constans, perenne & indissolubile est, quam constans, perenne & indissolubile est vinculum naturale inter parentes & liberos, carnali generatione contractum, Unde & Christus, qui ipsa falli ac fallere nescia veritas est, ex institutione primævæ conjugii infert, DEUM, auctorem & institutorem conjugii, vi illius conjugere conjuges vinculo indissolubili. *Quod dicitur, inquit, Deus conjunxit, homo ne separet, Matth. XIX, 6.*

XXXV. Quam arctum vero, constans & perenne est

G

vin-

vinculum conjugale vi primæ vā institutionis, verbis expressis à Deo promulgatæ, tam arctum etiam, constans & perenne illud est & esse debet vi ejusdem, naturæ hominis ab auctore naturæ implantatæ. Conjugium enim est societas maxime secundum naturam, & apud omnes gentes ac populos eadem: quam proinde non conveniebat ab auctore naturæ Deo aliter verbis in Protoplastorum nuptiis; aliter in ipsa natura institui & sanciri. Unde quemadmodum illic Deus verbis expressis sanxit, ut matrimonium initurus vir *deserat patrem suum & matrem suam, & adhareat uxori suæ, & sint in unam carnem*; ita hic mentibus hominum ante omnem legem positivam natura implantavit, ut vinculo conjugali, mutuo consensu contracto, maritus adhæreat uxori arctius & intimius, quam vinculo naturali, per generationem contracto, liberi parentibus, & uxor vicissim marito; & ut à parentibus quasi avulsi inter se coalescant in unam carnem; desertaq; domo paterna, in qua enutriti & educati sunt, oppido suam propriam domum erigere, & generatione prolis augere incipiant, ut item diligant se in vicem, tanquam se ipsos, & ut sua ipsorum met corpora. Quo de conjugali vinculo merito quis dixerit, quod de conjunctione maris ac fœminæ ad procreationem sobolis secundum se dixit *Aristoteles I. Polit. c. II. τὸ τοῦ ἄνδρος ἐκ τῆς γυναικὸς, ἀλλ' ἄσπες ἐν τοῖς ἄλλοις ζῴοις ἔστι ποταὶς ποσὸν τὸς φιλῶναι*, e. hoc non esse ex hominum procreari sive electione, sed ut in ceteris animalibus & plantis, naturale desiderium. Et si enim, quod ex pluribus fœmellis vir unam deligit in uxorem, & vicissim fœmina huic potius, quam alteri nubit, res liberæ voluntatis est, & ex procreari sive electione voluntatis provenit, tamen quod consensu mutuo in tam arctam coëant societatem, ut avulsi quasi à parentibus, inter se in unam coalescant carnem, utque deserta domo parentum suam propriam domum constituent, & generatione prolis augeant &c. id non tam ex hominum

num voluntate & proæresi, quam ex desiderio naturali sive natura insito instinctu est. Quod usque adeo conjugio apud omnes populos & gentes commune & connaturale est, ut verbis primæ institutionis: *Quapropter relinquet vir patrem suum & matrem suam, & adhaerebit uxori suæ, & erunt in carnem unam; Deus, conjugii auctor & institutor, non tam quid fieri debeat, præscripsisse & præcepisse, quam quid omnibus temporibus conjuges ultro, ex natura insito instinctu, facturi sint, prædixisse videatur.*

XXXVI. Atque hinc accersit *Aristoteles d. l.* primam vicorum originem: nempe quemadmodum per naturam ita constitutum est, ut vir & mulier, vinculo conjugali in unam carnem juncti, quisque domum paternam, in qua enutritus & educatus est, deserant, & suam propriam domum constituent: ita temporis progressu vicissim horum liberi, matrimonium ineuntes, ipsa natura duce, paternam deserunt domum, & suas proprias domos constituunt, & sic deinceps unius generantis domus diffundit se temporis progressu in multas domos, quæ collectim sumtæ constituunt vicum sive pagum, primam ex pluribus domibus constitutam societatem, quam Philosophus laudatus ibidem *maxime secundum naturam* esse dicit, quippe quæ sit *propagatio domus eorum, quos dicunt quidam ομογάλακτας, παῖδας τῆς καὶ παίδων παῖδας, i. e. collectaneos, & natos ac natorum natos.*

XXXVII. Quanquam vero non omnis natura insita propensio hominis jus naturæ statim facit, ejusve certum indicium est: appetitus sensitivus enim natura fertur in bonum jucundum plerumq; inordinate, contra regulas honestatis, adeoque secus, quam jus naturæ jubet: hæc tamen, de qua agimus, natura insita propensio conjugalitatis, uti hominis propria, & à propensione sexus utriusque in procreationem prolis, secundum se homini cum brutis animantibus communi,

muni, diversa est, ita naturæ rationali ut rationali, regulisq; honestatis prorsus convenit, eaque in natura animadversa, ratio oppido iudicat, vinculum conjugale oportere esse tale, quale ipsa natura insita propensio inter conjuges constituit: quo scilicet à parentibus & domo paterna avulsi inter se in unam carnem jungantur, & suam propriam domum constituent. Quod ipsum confirmat ratio recta etiam *ex sine conjugii*, in quem natura conjuges feruntur.

XXXVIII. Est autem conjugii finis duplex: *primarius unus, nempe procreatio sobolis; alter secundarius, nempe mutuum vitæ adiutorium.*

XXXIX. Ex parte finis prioris, ut vinculo conjugali conjuges, à parentibus & domo paterna avulsi, inter se nexu indissolubili in unam carnem jungantur, & suam propriam domum constituent, exigit & *generatio & educatio prolis*. Illa enim requirit conjunctionem corporum (quæ est conjunctio quædam conjugis utriusque in unam carnem) ad constituendum unum completum procreandæ prolis principium; hæc media exigit, unde & generantes & geniti sustententur: quæ comparare sibi non possunt conjuges, nisi à domo paterna avulsi suam propriam domum constituent, & sibi ac suis, non ut antea, parentibus acquirant, quæ acquirunt.

XL. Alter finis mutuam conjugum operam requirit cum in educatione liberorum, tum in curanda re familiari. Sunt enim liberi conjugis utriusque commune bonum, & obligant natura insitæ *cogendi* ad illorum educationem æque utrumque: maritum quidem, ut acquirat, quæ ad vitæ sustentationem necessaria sunt; uxorem vero, ut acquisita domi custodiat & conservet: ut idem lacte alat recens natam prolem, ejusque educationem curet: illum ut regat & protegat uxorem, liberos & res domesticas; hanc ut subsit marito, eumque in administrandis rebus domesticis & in ipsa vita,

quoad

quoad potest, adjuvet. Neque hisce operis mutuis ad breve tempus egent, sed per vitam totam. Nati enim hominum non ita brevi tempore, ut nati brutorum, pertingunt ad perfectionem, qua virtuti quærere, sibi que prospicere possint, & propterea ad sui educationem parentum cura & iudustria per annos plures egent. Præterea iidem, ut homines sunt, virtutis & vitiorum capaces, & jam profatu naturæ corruptæ in nulla non vitia propendent, ita educatione recta, qua à vitiis retrahantur, & ad virtutem affvefiant, per annos plures continuata, opus habent. Et ut vis generativa successive ad liberorum plurium procreationem se exserit, ita parentes plerumque ad senectutem usque in liberorum educatione occupari oportet. Scire hanc in rem *Thomas in Suppl. p. III. q. LXVII. a. l. in corpore, Dicendum, inquit, quod matrimonium ex intentione naturæ ordinatur ad educationem prolis, non solum ad aliquod tempus, sed per totam vitam prolis. Unde de lege naturæ est, quod parentes filius thesaurizent, & filii parentum heredes sint. Et ideo cum proles sit commune bonum viri & uxoris, oportet eorum societatem perpetuo permanere indivisam, secundum legis naturæ dictamen.*

¶ XLI. Fixum ergo immotumque manet, vi primævæ institutionis, cum verbis expressis promulgatæ, tum in ipsa hominis natura fundatæ, oportere vinculum conjugale inter conjuges esse perpetuum & indissolubile. Quia autem institutio omnis suapte naturam importat præceptum de re vel actione instituta, non aliter quam instituta est, agenda, vel ineunda: quod ante annos viginti Dn. Præses in *Disputatione priori de Communionis sub utraque specie* contra Pontificios fusè demonstravit, & discussis adversariorum exceptionibus omnibus solide evicit; res ipsa loquitur, quod quicumque iniri sunt conjugium, vi contentæ in primævæ institutione legis, divinæ & naturalis, teneantur illud non aliter inire, quam

per consensum de perpetuo & per vitam totam perennatur
vitæ confortio, eumq; irrevocabilem & irretractabilem: ex
quo obligatio ad fidem conjugalem & mutuam vitæ confor-
tium perpetua, sive, quod idem est, vinculum conjugale in-
dissolubile resultat.

XLII. Vinculum conjugale igitur indissolubile est,
cum vi objecti: quia oritur ex consensu de perpetua & nun-
quam, nisi per mortem, solvenda vitæ consuetudine; tum vi
institutionis divinæ, uti ostensum.

XLIII. Duobus tamen casibus solvi potest. Uno qui-
dem *adulterii*; altero *malitiosæ desertionis*.

XLIV. Casu priori ipso jure illud solvi potest & solvi-
tur. Quando enim alterutra conjugum pars fidem conju-
galem, per adulterii crimen, frangit, tum altera innocens
pars jure divortium, sive conjugii dissolutionem à compe-
tente iudice causarum matrimonialium petere, eaque impe-
trata aliud inire matrimonium potest. Atque de hoc casu
agit Christus *Matth. XIX. 9. Dico, inquit, vobis, quod quicumque*
repudiaverit uxorem suam, nisi ob stuprum, & aliam duxerit, is adul-
terium committit. Et rursus: Ego dico vobis, quod quisquis repu-
diaverit uxorem suam, nisi causa stupri, facit eam mœchari, & qui-
cunq; repudiatam duxerit, mœchatur, c. V. 32. Quibus Servator
duo asserit. Unum: Eum mœchari, qui repudiata uxore
sua, ducit aliam. Alterum, eum non mœchari, qui uxore
suam, fornicationis causa, repudiat, & aliam ducit. Quan-
do enim in propositionibus exceptivis prædicatum de subje-
cto affirmatur cum exceptione, tum vi consequentiæ negat-
ur idem de eo, quod à subiecto excipitur, & bene sequitur:
Qui repudiat uxorem suam extra causam stupri, & ducit ali-
am, mœchatur. Ergo qui causa stupri uxorem suam repudiat
& aliam ducit, non mœchatur. Ex quo porro sequitur, quod
stupri causa liceat uxorem repudiare, & aliam ducere. Nam
cur

cur extra causam stupri id non liceat, redditur à Christo ratio, quod qui extra causam stupri uxorem repudiat, & aliam ducit, mœchetur: quæ ratio in rejectione uxoris ob causam stupri stat.

XLV. Casu posteriori autem vinculum conjugale, ex parte desertoris, solvitur de facto & remere, & parti innocenti, quæ ad cohabitandum parata erat, & per quam non sterit, quo minus illud continuaretur, conceditur à iudice competente jus & potestas novum ineundi matrimonium. Quo de casu agit *Paulus I. Cor. VII. 15. Si*, inquit, *infidelis discedit, discedat: non est servituti subiectus frater aut soror in ejusmodi*: nempe tempore Apostolorum contingebat frequenter, ut alter conjugū converteretur ad Christum, alter vero in infidelitate persisteret, & cum parte conversa cohabitare noller, sed injuste eam desereret. Quod quando contingebat, dicit *Paulus*, in tali casu partem innocentem non esse servituti subiectam, sed habere potestatem nubendo alii viro, aut ducendi aliam uxorem.

XLVI. Consuetudo igitur repudiandi uxores aliis quibusvis de causis, etsi Judæis in lege Mosaica, ob *σκληροκαρδία* sive *duritiem cordis sui*, & ad vitanda alia majora mala, tolerata; absolute tamen & simpliciter loquendo licita non fuit, docente Christo in locis hæcenus citatis.

XLVII. Et tantum de causa & ratione formali conjugii. Materialem constituunt *mas & femina*, tanquam personæ, vinculo conjugali in unam carnem jungendæ. Quod ut rectius intelligatur, sciendum, *marem & feminam* habere se ad conjugium duobus modis. Uno ut partes, vinculo conjugali jungendas; altero, ut personas, de conjunctione sui in unam carnem inter se contrahentes. Posteriori modo ut *efficiens*; priori autem, ut *materialis* causa conjugii sese habent.

XLVIII.

XLVIII. Vi primævæ institutionis autem matrimonio jungendi sunt *mas unus, & una fœmina*, non autem fœminæ plures uni virò, multominus viri plures uni mulieri. Ea enim sancitum est, ut *vir adhareat uxori suæ, & ut sint (i. ari- tus & uxor) in carnem unam*. Quo ipso constitutum est, ut vinculum conjugale sit inter duos, virum sc. & mulierem, non inter plures, virum sc. & mulieres. Quamquam vero vox *duo* in textu Ebræo non expresse habetur, implicite tamen & quoad rem in eo habetur. Nam Christus, primævam conjugii institutionem repetens, & à Pharisaicis corruptelis vindicans, voculam *duo* expresse addit, dicitque diferte, eum *qui fecit ab initio* (is vero citra dubium DEUS est) *masculum & fœminam fecisse eos, & dixisse: Propterea deseret homo patrem & matrem, & agglutinabitur uxori suæ, & erunt duo in carnem unam*. Non autem dixit is, qui ab initio hominem fecit masculum & fœminam, expresse, *erunt duo in carnem unam*, & tamen id dixit. Ergo implicite, & quoad rem dixit illud. Ergo in primæva conjugii institutione implicite & quoad rem continetur, quod *duo*, non plures, debeant esse in carnem unam; quæ est illa ipsa, qua de agimus, lex conjugii. Perinde *Paulus*, cum verba primævæ institutionis allegat, voculam *duo* duo, adjicit *1. Cor. VI. 16. Eph. V. 31.*

XLIX. Dicat quis, voculam *duo* non exclusive accipiendam, quasi non plures duobus matrimonio jungi liceat, sed *duos* dici *in carnem unam* fore, quod societas conjugalis minimū duas exigat personas, marem & fœminam, quæ unam simplicem societatem conjugalem constituent. Quod si viro uni plures jungantur uxores, esse & hanc veram societatem conjugalem, non tamen simplicem, sed compositam, quæ una voce *πολυγαμία* dicitur! Non enim repugnare, quo minus uni *relatorum* plura respondeant correlata, sicut societas herilis simplex est inter dominum & servum, & sic inter duos, & tamen

tamen nihil est frequentius, quam ut unus dominus plures habeat servos, cum quorum quolibet unam simplicem; cum omnibus autem simul unam compositam societatem herilem constituit; & societas paterna est inter patrem & filium aut matrem, ut tamen nihil frequentius sit, quam unum patrem habere plures liberos, filios & filias, cum quorum quolibet unam simplicem, cum omnibus verò junctim sumtis, unam compositam societatem paternam constituit.

L. Sed exceptio hæc in recessu non habet, quod à fronte aliquibus polliceri visa est. Quod enim vocula *duo. duo*, hic accipienda sit exclusive, & vi primæ institutionis non plures una uxores cum uno marito in unam carnem esse sive coalescere debeant, facile ostendi potest ex allegato *cap. XIX. Matth.* aliisque locis parallelis. Christus enim postquam docuerat, vi primæ institutionis, oportere conjugium esse inter duos, eosque vinculo indissolubili inter se conjunctos, ut sint *caro una*, sive ut jam *non sint duo, sed uno caro*, jam porro ad quæstionem, à Pharisæis sibi propositam, cur Moses jussit dare libellum repudii, ac dimittere uxorem, responsurus, docet, hoc per accidens esse permissum à Mose ob Judæorum *καληκαρδιαν*; & ad vitanda alia majora mala, initio autem, & vi primæ institutionis, *non fuisse sic*, h. e. non licuisse uxorem dimittere & aliam ducere, nisi stupri causa id fiat. Cujus rei ratio redditur, quod qui alia, quam stupri causa uxorem, dimittit, vinculo conjugali, quod non nisi per stuprum solvi potest, uxori dimissæ adhuc alligatus sit, & propterea uxorem aliam, citra adulterii culpam, ducere non possit. Cur autem, vinculo conjugali cum uxore dimissa manente, is uxorem aliam, citra adulterii culpam, ducere non possit, ejus ne fingi quidem potest ratio alia, quam quod vi primæ institutionis conjugium tantum sit inter duos, ut una

plures uxores ducere marito non liceat, & adulterium committat, quisquis uxori primævæ aliam superinduxerit.

LI. Hinc argumentamur ita: Quæcunque conjugalī conjunctio per se & naturā suā importat adulterium, ea pugnat cum primæva institutione conjugii, estque illicita & ipso jure nulla. Atque conjunctio conjugalī unius viri cum pluribus uxoribus sive polygamia simultanea, est talis conjunctio conjugalī, quæ per se & naturā suā importat adulterium. Ergo conjunctio conjugalī unius viri cum pluribus uxoribus, sive polygamia simultanea pugnat cum institutione conjugii primæva, estque illicita & ipso jure nulla. Major propositio evidens est: quia primæva conjugii institutio continet ipsam legem fundamentalem, qua conjugium sancitum & in suo esse specifico constitutum est, cum qua proinde non potest non pugnare conjunctio, quæ per se & naturā suā adulterium importat. Minor verò sequitur ex verbis Christi *Matth. XIX, 9.* jam productis & declaratis. Si enim conjunctio conjugalī inter virum, qui citra culpam adulterii uxorem suam temere dimisit, & inter uxorem, in locum dimissæ ductam, per se & suā intrinseca naturā adulterium importat, multo magis, conjunctio conjugalī inter virum & uxores plures, simul ductas, per se & suā intrinseca naturā importabit adulterium. Sed antecedens est verum, vi verborum Christi: *Quisquis dimiserit uxorem, nisi adulterii causa, & aliam duxerit, adulterium committit.* Quæ universalis propositio utique est ex censu earum, quæ per se sunt, & causam, cur prædicatum subjecto insit, includunt. *Ducere enim aliam uxorem, præter eam, quæ extra adulterii casum illicitè dimissa est, formaliter adulterari est, & causa est, cur qui, præter eam, aliam ducit, adulteretur.* Consequentia verò probatur: quia qui in locum uxoris, citra adulterii culpam dimissæ, aliam ducit uxorem, is abstinere a consuetudine conjugalī cum

cum dimissa, & cum altera tantum, quam in illius locum duxit, confvefcit; & tamen, dicente Christo, adulterium committit, quod cum dimissæ adhuc vinculo conjugali obligatus sit, novo conjugii contractu cum alia, & sic cum duabus uxoribus simul sese conjugat. Polygamus autem non tantum duabus vel pluribus uxoribus simul vinculo conjugali se adstringit, sed reipsa etiam cum illis confvefcit, & carnaliter se commiscet, estque ex parte vinculi conjugalis cum pluribus una uxoribus, ejusdem cum priori conditionis; deterior autem illo, quod cum pluribus una reipsa confvefcit, ille vero cum una tantum, à consuetudine alterius dimissæ autem abstinet.

LII. Sed hic forte quis excipiet, esse disparem rationem polygamix simultaneæ, & conjugii, quo quis, dimissa uxore citra culpam adulterii, ducit aliam. Hoc enim dimissæ & injuriam inferri & occasionem adulterandi præberi, juxta illud Christi *Matth. V, 32. Quisquis repudiaverit uxorem suam, nisi causa stupri, facit eam mœcham. Et Marc. X, 11. Quicumque dimiserit uxorem suam, & duxerit aliam, mœchatur in coram adversus illam*, id est, ipso facto, quod in ipsam committit, ut *Hugo Grotius* interpretatur. Illa autem maritum, pluribus uxoribus thoro etiam conjunctum, nec injuriam inferre primæ: quia eam duxit servata sibi libertate & potestate superinducendi aliam; neque etiam alterutram periculo adulterii exponere, cum utriusque confvefcit.

LIII. Verum hæc allata diversitas nostri argumenti vim nec infringit, nec minuit. Licet enim, qui dimissa uxore ducit aliam, fracta fide conjugali dimissæ faciat injuriam, eamque adulterii periculo exponat, atque sic graviter in illam peccet, non tamen per hoc committit adulterium. Non enim quælibet uxori illata injuria, neque quælibet cum fide conjugali pugnans actio statim adulterium est, sed tantum

injuria & violatio fidei conjugalis per violationem thori conjugalis & carnalem commixtionem cum alia muliere. Neq; etiam idem sunt *adulterium committere, & uxori ad vagas libidines & ad committendum adulterium ansam præbere*. Posterius facit, qui dimittit uxorem, per dimissionis actum; prius vero per hoc demum, quod in locum dimissæ aliam ducit uxorem, & thorum conjugalem per carnalem commixtionem cum illa violat. Quamobrem Christus *Matth. XIX, 9.* non dicit: *Quis dimittit uxorem suam, adulterium committit*, ut adulterii rationem in ipso dimissionis actu constituat; sed dicit: *Quisquis dimiserit uxorem suam, & aliam duxerit*; ut ratio adulterii in conjunctionem dimittentis cum uxore alia, in locum dimissæ ducta, referatur.

LIV. Porro *voculæ, ἐπ' αὐτῆν* adversus illam, apud *Marcum c. X, n.* argumento nostro nihil quicquam detrahunt. Prædicatum enim, cujus partem constituunt, (*μοιχάραι ἐπ' αὐτῆν*) non tam pertinet ad priorem subjecti partem: *Quisquis dimiserit uxorem*; quam ad posteriorem, quæ est: *& aliam duxerit*, ut mens Servatoris sit, eum qui in locum dimissæ uxoris aliam duxerit, *mœchari adversus illam*, dimissam scilicet, & mœchari per hoc adversus illam, quod aliam in ejus dimissæ locum ducit. Quod enim aliam ducit, directe pugnat cum fide conjugali, uxori dimissæ data, estq; per se cum violatione thori illius conjunctum. Adhuc ergo fixum immortumq; manet, causam, cur adulterium committat, qui dimissa uxore, citra adulterii culpam, aliam ducit, aliam reddi non posse, quam quæ à nobis reddita est, nempe quod vi primæ institutionis conjugium non possit esse, nisi inter ter duos; vinculum conjugale autem cum uxore, citra culpam adulterii dimissa, per dimissionem non solvatur, & proinde dimissa, quoad vinculum, adhuc legitima conjux fit; conjunctio vero cum altera cum primæ conjugii in-

sti-

stitutione pugnet, neque conjugium, sed illicita & cum adulterio sive violatione thori conjuncta copulatio sit.

LV. Denique exceptioni ulteriori omnem præcludit vi-
 uen, quod citato *c. V. 32. Matth.* dicit Christus: & *Quicumque repudiatam duxerit, adulterium committit.* Quod *Luc. XVI, 18.* repetitur: Neque enim vel fingi potest alia ratio formalis, qua qui repudiatam ab altero uxorem ducit, adulterium committat, ejusve culpam contrahat, quam quod ducit eam in uxorem, quæ vinculo conjugali marito alii conjuncta est. Causa enim dimissionis, à marito priori factæ, non est is, qui eam ducit, nec per hoc is adulterii culpam formaliter contrahit, quod maritus prior eam injuste dimisit, quippe qui, ut hic supponitur, ad ejus dimissionem nihil contulit, neque directe, neque indirecte. Relinquitur ergo, per hoc eum contrahere adulterii culpam, quod dimissam, quæ marito priori, non obstante injusta dimissione, vinculo conjugali adhuc conjuncta est, ducit in uxorem, & per carnalem copulationem cum illa thorum alium violat. Tertium enim, quo adulterium committere dici possit, uti dictum, ne fingi quidem potest. Par autem ratio est ejus, qui uxorem, citra adulterii culpam, dimittit, & aliam ducit, & sicut is, qui repudiatam ducit, per hoc committit adulterium, quod eam ducit in uxorem, quæ vinculo conjugali alteri obstricta est; ita hic, qui dimissa uxore ducit aliam, per hoc committit adulterium, quod uxori dimissæ vinculo conjugali adhuc obstrictus est, & etiam alteri, quam in locum dimissæ ducit, vinculo conjugali se obstringit.

LVI. Argumento, desumpto ex primæva conjugii institutione, à Christo repetita, declarata, & à Pharisaicis corruptelis vindicata, subjungimus, quod *Paulus 1. Cor. VII. 2. 3.* conjuges ad mutuam *caritatem* sive benevolentiam hortaturus:

rus: uxori, inquit, vir debitam benevolentiam reddat; similiter autem & uxor viro. Rationem vero exhortationis desumit ex natura pacti conjugalis, quo & uxor abdicet se potestate sui corporis, eamque in maritum conferat; similiter vir sui corporis potestate se abdicet, eamque in uxorem conferat. Verba ejus sunt: *uxor proprii corporis potestatem non habet, sed maritus; similiter & maritus proprii corporis potestatem non habet, sed uxor.* Ubi pari maritus & uxor conditione habentur, nec alter utri plus conceditur potestatis in corpus proprium, quam alteri.

LVII. Hinc ita argumentor: Quicumque conjux vi primæ institutionis & pacti conjugalis, semel initi, potestate corporis proprii se abdicavit, ita ut eam non amplius habeat, sed pars altera, ille non amplius habet jus matrimonium cum alio, aut alia ineundi. Sed uterque conjux, vi primæ institutionis & pacti conjugalis, potestate corporis proprii se abdicavit, ut eam non amplius habeat, sed pars altera. Ergo neuter conjugum jus habet cum alio, aut alia ineundi matrimonium. Ergo, vi primæ institutionis, vinculum conjugale est tantum inter duos & polygamia simultanea nulla est, nec unius uxoris cum pluribus viris: quod facile omnes concedunt; nec unius viri cum pluribus uxoribus, quod erat probandum. Major propositio evidens est: quia jus ineundi matrimonium requirit ex parte contrahentium jus sive potestatem in proprium corpus, qua ejus potestatem alteri facere possit. Qui autem semel iniiit matrimonium, is contulit eam in conjugem suam, ut illam non amplius habeat. Minor autem est *Pauli d. l.*

LVIII. Sed hic rursus excipi potest *Paulum d. l.* non agere de potestate conjugum in proprium corpus absolute, sed tantum in ordine ad actus mutuæ benevolentiae: agere enim in præced. v. 2. expresse de benevolentia conjugali,

gali, quam alter conjugum alteri debet. Inde autem non fe-
qui: Vir non habet ita potestatem sui corporis, ut debitum
conjugale uxori denegare possit. Ergo nec habet potesta-
tem sui corporis, ut aliam uxorem ducere, eiqve corporis sui
potestatem facere possit.

LIX. Resp. Paulum agere quidem in v. 2. de benevo-
lencia conjugali, & hortari conjuges, ut eam sibi invicem red-
dant; rationem tamen adhortationis, in seq. v. 3. subjectam,
esse generalem, & inde petitam, quod nec vir habeat pote-
statem in proprium corpus, sed uxor; nec uxor habeat pote-
statem in proprium corpus, sed vir, sive maritus. Non dicit
Apostolus: Vir non habet potestatem in proprium corpus in
ordine ad actus debite evēdas, sed absque ulla restrictione: Vir
non habet potestatem proprii corporis, sed uxor, & contra. Quod ut
sine restrictione assertum est, ita merito absolute & sine
restrictione accipitur de potestate conjugum, quam alter in
alterius corpus habet, etiam ea, qua vel viro liceat alii cuidam
uxori, vel uxori liceat alteri cuidam viro corporis sui pote-
statem facere. Quem in sensum veteres etiam hunc locum
intellexerunt. Ita Chrysof. Hom. XIX, in h. l. Cum igitur ad te ven-
tandum meretrix accesserit, dicas, non esse tuum corpus, sed uxoris.
Itidem & uxor dicat aduersus eos, qui ejus volunt expugnare pudici-
tiam, corpus meum non est meum, sed viri. Et Theophylactus, Chry-
sofomi Epitomator, in h. l. Quod autem mutua charitas, debiti lo-
co, ab his sit exigenda, nunc patefacit, cum nullum horum asserit suo-
rum habere corporum potestatem; sed mulierem serua & speciem prae se
ferre, & dominam. Serua, quia subiecta sit viro, nec ullam vendicet cor-
poris sui potestatem, ut vulgare illud ad libidinem quibus libeat, queat.
Dominam, quia contra suum viri sit corpus, in quod nullum ille habeat
imperium, ut possit pro ejus arbitrio adulteratis illud & meretricibus
demandare. Non ergo absmilitatione & vir uxoris est serua & domi-
nus. Eundem in sensum Auctor Comment. in Epist. Pauli, qui vul-
go

go *Ambrosio* adscribuntur; in h. l. *Hoc dicit (Apostolus) quod neque viro neque mulieri liceat corpus suum aliter adere.*

LX. Neque est, quod quis dicat, *Chrysostrum* & *Theophylactum* colligere quidam ex verbis Paulinis, quod marito meretricibus, & uxori adulteris corporis sui potestatem facere non liceat; inde autem non sequi, quod vi eorundem Apostoli verborum marito non liceat inventu novi pacti conjugalis alteri uxori corporis sui potestatem facere: quod solum tamen hic in quaestione veniat. Non, inquam, est, quod sic quis excipiat. Præterquam enim quod ad præsens sufficere potest ostendisse, veteres non restrinxisse verba Apostoli ad propriam potestatem corporis in ordine ad solos actus mutuæ benevolentiae inter conjuges, sed accepisse ea, uti sonant absolute, & collegisse etiam ex illis, marito non licere magis alii cupiam mulieri, quam uxori alteri cuidam viro corporis sui potestatem facere: juxta doctrinam Christi etiam, superius ex *Matth. XIX.* adductam, adulter est, quisquis cum alia, quam sua semel sibi legitime conjuncta uxore; & adultera, quæcumque cum alio, quam suo semel sibi legitime conjuncto marito se commiscet, sive pactum conjugale intercesserit, sive minus. Nam pactum si interveniat, pugnabit cum primæva conjugii institutione, ipsoque jure nullum erit.

LXI. Quæ autem superiori *Th. XLVIII.* de societate conjugali simpliciter & composita objiciebantur, nihil habent roboris. Nam vi primævæ institutionis nulla datur societas conjugalis, præter simplicem, quæ est inter unum maritum & unam uxorem. Qui uxorem habet, quamcumque societatem cum aliis fœminis ad procreationem sobolis inear, ea conjugalis non est, sed adultera, & quam cum uxore legitima & aliis superinductis fœmellis constituer, ea non erit ex pluribus simplicibus conjugalibus, sed ex una conjugali,

&

& pluribus adulteris societatibus conflata societas. Conjun-
ctio enim viri cum alia quacunqve muliere, præter uxorem
suam, adultera; sola autem prima cum uxore legitima conju-
galis est, ut ipsummet Christum docere audivimus.

LXII. Neque, quoad præsens, par ratio est societa-
tis conjugalis cum societatibus aliis, herili & paterna. Pri-
mum enim societatem herilem & paternam nec natura nec
ulla institutio, divina, aut humana restringit ad duos, sicut
conjugalem primæva institutio, ejusqve interpres Christus
& natura ipsa ad duos restringunt. *Et erunt duo in carne
unam*, expresse ait Christus. Deinde in societate herili do-
minus, adsciscens sibi servum, coit quidem cum eo in unam
societatem, non tamen *in unam carnem*; sed jungitur cum
eo, ut agens principale cum instrumento. Servus enim
est instrumentum domini animatum. Et in paterna socie-
tate qui per generationem constituitur pater, procreat qui-
dem prolem de carne sua, vi generationis tamen non con-
jungitur cum ea, ut maritus vi consensus conjugalis cum
uxore, ut scilicet cum ea coalescat in unam carnem, sed
conjunguntur inter se pater & filius, ut causa & effectus,
& utis, qui alteri de sua carne dedit; & is, qui de alterius
carne accepit carnem. Quemadmodum autem non re-
pugnat, causam principalem pluribus uti instrumentis,
& unum patrem per plures generationis actus iteratos
plurium liberorum causam esse, pluribusqve de carne sua
impertire carnem, ita non repugnat, dari societatem heri-
lem compositam inter dominum unum & plures servos, &
societatem paternam compositam inter patrem unum &
liberos plures. Secus autem res habet cum societate con-
jugali. Quia enim per eam conjuges vinculo indissolubili jun-
guntur in unam carnem, repugnat, dari societatem conju-
galem compositam inter unum maritum & plures uxores.

sils

E

Qui

Qui enim jam cum uxore prima junctus est in carnem unam, is non potest cum ea esse & manere una caro, & simul cum alia uxore in carnem unam. Quemadmodum enim duæ mulieres non una caro, sed carne divisæ sunt, ita vir, si cum una sit caro una, ab altera carne divisus erit, & si cum altera fiat caro una, à priori avellatur & separabitur carne, atque una caro cum ea esse desinet. Quæ etiam ratio est, cur adulterium justa divortii causa constituitur: quia scilicet adulter cum adultera in unam carnem coalescit, & hac posteriori conjunctione vinculum conjugale, quod inter ipsum & ejus uxorem intercedebat, & de jure solvi nunquam debebat, ipso facto violatur & rumpitur. Non autem solveretur per adulterium, si quis cum uxore & simul cum muliere alia absque violatione vinculi conjugalis una caro esse posset. Tertio dominus adsciscens sibi servum non abdicat se potestate alios adsciscendi servos, nec pater generans filium abdicat se potestate alios plures generandi liberos, sed qua potestate dominus unum adsciscit servum, ea potest etiam alios adsciscere; & qua potentia generandi pater unum generat filium, ea potest etiam alios generare. Sed vir adsciscens sibi uxorem, abdicat se potestate adsciscendi sibi aliam, & corporis sui potestatem totam, quoad actus conjugales, confert in uxorem, semel adscitam, ut modo ex *Paulo* ostendimus. usq. *mon. 8*

LXIII. Idem concludit etiam ratio recta ex fine conjugii utroque, *procreatione prolis* scilicet, & *mutuo* ad vitam bene degendam *adjutorio*. Quamvis enim finis prior etiam per polygamiam, & forsan majori copia prolis, obtineri possit, quam per monogamiam, tamen finis conjugii non est procreatio liberorum simpliciter, & quovis modo, sed naturæ rationali, ut rationali, convenienter instituta. Oportet enim finem conjugii, naturæ hominis proportionatum esse.

essare. Non autem convenit homini velut naturæ rationali, ut vagalibidine in plures feratur sœmellas, ad procreationem sobolis: hoc enim brutorum est; sed in unam, ex pluribus delectam, cui vinculo indissolubili adhæreat, ut supra ostensum. Præterea procreatio sobolis debet ad ductum rectæ rationis cum iusta moderatione institui, ne vires naturæ profternat, & ad mûnia sua rite obeunda viro impedimento sit. In polygamia vero hæc rectæ rationi congrua moderatio vix locum invenit. Ex parte finis posterioris autem, qui est mutuum vitæ adjutorium, polygamia maximam parit difficultatem. Quemadmodum enim facultas generativa viri non æque pluribus, ut uni sufficere uxori, neque amor mariti erga uxores plures ita sincerus, ita constans & perennis, ut erga unam esse potest, sed unam altera plus diligit, qui habet plures, ita inter viri unius uxores plures oriri solent æmulationes, odia & rixæ, quæ rei familiaris administrationem vehementer turbant & marito pariter atque uxoribus vitam, cujus bene & jucunde degendæ causa societas conjugalis à Deo & natura instituta est, valde acerbam reddunt. Bene Thomas d. l. q. LXV. a. l. in corp. *Non facile potest esse pax in familia, ubi uni viro plures uxores junguntur, cum non possit unus vir sufficere ad satisfaciendum pluribus uxoribus ad votum, & etiam quia communicatio plurimum in uno officio causat litem, sicut figuli corrixantur ad invicem; & similiter plures uxores unius viri.*

LXIV. Ex parte causæ materialis ad conjugium requiritur porro, ut jungantur vinculo conjugali personæ habiles, & quas in carnem unam conjugii honestas non prohibet.

LXV. Habiles censentur puberes, & quibus inest naturalis potentia generandi, vel certè potentia naturalis ad actus mutuae benevolentiae sive debiti conjugalis. Conjugium enim est contractus de cohabitatione & mutuo vi-

tæ confortio ad procreationem sobolis & ad restingendas
ustionem flammæ. Ad hosce autem fines habiles non sunt
nisi puberes, quorum ætatem *Aristoteles VII. de Hist. Anim.*
c. 1. annis quatuordecim; Imperator vero §. 1. *Instit. Quibus*
modis tutela finitur, & alibi quatuordecim in masculis, duo-
decim vero in fœmellis circumscripsit. Neque tamen anni
pubertatis soli sufficiunt ad habilitatem personarum, vincu-
lo conjugali jungendarum, sed requiritur insuper poten-
tia generandi in masculo, & pariendi in fœmina, vel certe
potentia ad actus conjugalis benevolentia. Finis prima-
rius enim conjugii est procreatio sobolis; secundarius, ut
remedium sit contra vagas libidines & ustionem flammæ.
Quamvis vero procreatio sobolis non semper sit in pote-
state conjugum: liberi enim Dei donum sunt; actus tamen
benevolentia conjugalis in illorum potestate esse oportet,
ne alterutrius impotentia alteri ad vagas libidines & for-
nicationem ansa præbeatur, contra monitum Paulinum
1. Cor. VII, 2. 9. Alias conjunctio illorum conjugium ratum
non constituet.

LXVI. Quos honestas matrimonio jungi vetat, sunt
consanguinei & affines. Nam conjugium non est promiscua
maris & fœminæ commixtio, qualis brutorum est, sed co-
habitatio honesta, casta & pudica, quam & naturæ & divina
lex certis honestatis regulis circumscripsit.

LXVII. Prohibet autem honestas *carnem carnis*, h. e.
propinquos carne matrimonio jungi, juxta illud *Lev. XIX, 6.*
איש איש אל-כחשאר בשרו לא תקרבו לגלות ערוה
ad literam reddi possunt: *Vir vir ad omnem propinquam car-
nis sue non accedetis ad retegendam nuditatem*. Ponitur autem
hoc loco vocula *איש* geminata, ex idiotismo Ebrææ lin-
guæ, pro *quilibet*, vel *omnis*, Vocula *שאר* autem significat &
carnem & propinquitatem ex carne & proinde בשר שאר reddi-
tur

tur à quibusdam *caro carnis*; ab aliis *propinquus* vel *propinqua* carnis, abstracto pro concreto accepto. Chaldaeus interpretes reddidit per קרוב propinquum. Utro autem modo reddas, res redit eodem. Nam *caro carnis* meæ dicitur, qui carne mihi propinquus, aut quæ carne mihi propinqua est. Dicitur autem admodum significanter ו. איש איש *vir vir* i. e. *quilibet*, vel *omnis*, ut significetur, legem hanc ex parte subjecti esse universalem & stringere omnes homines, nemine excepto. 2. אל-כל-שאר בשרו *ad omnem carnem carnis sue*, vel *ad omnem propinquam carnis sue*, ad significandum, eam esse etiam universalem ex parte objecti, & prohibere, ne quis ullam propinquam ducat in uxorem. Quæ, ut postea ostendetur, ipsa naturæ lex est, & fundamentum præbet omnium, quæ statim subjiciuntur, specialium legum, certas personas à nuptiis prohibentium.

LXVIII. Contrahitur autem *propinquitas carnis*, proprie quidem & strictè loquendo, per carnalem generationem, dicunturque *caro carnis* vel *propinqui carne*, quorum unus ab altero vel ambo ab eodem generante carnem suam per generationem acceperunt. Quo intuitu filii Jacobi de fratre suo Josepho dicebant: *Frater noster est* & בשרנו *caro nostra*, Gen. XXXIII, 27. Et Laban ad Jacobum, filium sororis suæ: *Os meum es* וּבְשָׁרִי *& caro mea*, Gen. XXIX, 14. Atque hæc carnis propinquitas dicitur uno verbo *consanguinitas*; & si ex linea paterna derivetur, *agnatio*; sin ex linea materna, *cognatio* vocatur. Deinde contrahitur etiam quædam propinquitas carnis *per nuptias*, & qui cum alterutro conjugè carnem suam ex iisdem parentibus per generationem acceperunt, & per hoc sibi invicem propinqui sunt carne, illi dicuntur etiam alteri conjugi propinqui carne, propter nuptias, quibus inter se conjuges una caro facti sunt, juxta illud: *Et erunt* לבשר אחד *in carnem unam*, Gen. II, 24. vel, ut Christus verbo-

rum sensum expressit: *אני וכוונתי הן דבן ית' אדגנא מלאו.* Et
erunt duo in carnem unam, Matth. XIX, 5. Quó modo uxoris
 consanguinei ad ejus maritum, cum quo ipsa una caro est,
 se habent ut *בשר שאר* *caro carnis ejus*, sive ut ipsius *propin-*
qui carne, sicut *Lev. XIX, 17.* de privigna ejusque filia dicitur
 vitrici: *שאהר* *caro tua sunt*, vel tibi propinqui sunt car-
 ne. Non autem privigna ejusve filia est *caro vitrici*, nisi
 quia ejus uxori, cum qua per nuptias factus est una caro,
 carne propinqvæ sunt. Et vicissim consanguinei mariti ad
 ipsius uxorem habent se ut *בשר שאר* *caro carnis ejus*, si-
 ve ut ejus propinqui carne, propter nuptias, quibus cum
 illó una caro facta est. Atque hæc est quædam in sensu
 laxiori minusque proprio dicta propinquitas carnis, quæ
 alias una voce *affinitas* appellatur.

LXIX. In loco præsentis accipitur *בשר שאר* *caro*
carnis sive *propinquus* vel *propinqua carne* in significato utro-
 que, prout utramque, *ex generatione* scilicet, & *ex nuptiis*
 contractam propinquitatem complectitur. Cui rei do-
 cumento est, quod inter leges speciales, quæ *אלישאה*
ad carnem carnis sue, sive *ad propinquam suæ carnis* accedere
 vetant, recensentur etiam leges, quæ personis, affinitate
 sibi invicem junctis, nuptias in quibusdam gradibus inter-
 dicunt, eæque non minus, quam reliquæ de gradibus con-
 sangvinitatis, illi generali legi: *Nemo ad carnem carnis suæ,*
sive ad propinquam carnis suæ accedat ad retegendam turpitudinem
ejus; velut communi fundamento superstruuntur. Videantur
Lev. XIX, versus 8. 14. 15. 16. 17.

LXX. Nomen *ערוה* à radice *ערה* *nudavit*, dedu-
 ctum, proprie *nuditatem* significat; ex usu Scripturæ vero
 accipitur frequenter admodum pro nuditate membrorum
 corporis humani, quæ natura pudoris & verecundiæ cau-
 sa tecta esse vult, eaque vocantur *nuditæ*, ut videtur, per anti-
 phra-

phrasin, quod nunquam nuda, sed semper tecta esse debeant. Nonnulli reddunt *turpitudinem*, per metonymiam adjuncti pro subjecto, quod nuditas illorum membrorum homini, jam post lapsum, turpis sit propter inordinatos concupiscentiæ motus, in illis maxime regnantes: qui, ut in parte hominis sensitiva, absque ratione, & sæpe contra rationem oriuntur, ita brutis potius, quam naturæ rationali, ut rationalis est, conveniunt, & ob suam cum parterationali disconvenientiam & turpes ipsi sunt, hominiqve, ubi innotescunt, ruborem incutiunt, & ut membra, in quibus maxime sese exerunt, in turpibus & verandis habeantur, efficiunt. Quod liquido patet exemplo protoplastorum, qui, dum inordinati concupiscentiæ motus aberant, nudi incedebant, nihil turpe, verendum nihil in se animadvertentes, *Gen. II. v. ult.* Sed post lapsum, quo concreata justitia originalis amissa est, ob orientibus affectibus & motibus concupiscentiæ, inordinatis, nuditatem corporis ea potissimum parte, qua pravæ concupiscentiæ motus maxime sese exerunt, oppido turpem habere, eamqve ipsa naturali verecundia & pudore ducti, consutis ex foliis arborum cingulis sive subligaculis, tegere coeperunt, *Gen. III. 7.* Atque hinc porro nomen *ערוה* transfertur quandoqve per metaphoram ad denotandam quamvis *turpitudinem*, aut quamvis *rem turpem*, ut ex *Deut. XXIII. 14.* *Jes. XLVII. 3.* videre est.

LXXI. In loco præsentis phrasin *ערוה* redditur ab interpretibus modo utroqve, nempe *retegere nuditatem*, & *retegere turpitudinem*, sensu tamen eodem. Continetur enim ea descriptio quædam copulæ carnalis, qua ad procreationem sobolis mas & fœmina junguntur, & reteguntur membra, quorum nuditas jam in statu naturæ corruptæ homini turpis est, & quæ propterea natura non nuda, sed tecta esse vult. Unde si vim verborum spectes, lex

hæc: Quilibet ad omnem carnem carnis sue ne accedat ad retinendam nuditatem ejus; generalis est, & prohibet simpliciter, ne propinqui carne carnaliter se commisceant, sive extra conjugium, sive in conjugio id fiat: quamvis alias extra conjugium, commixtio carnalis omnis, etiam inter eos, qui carne sibi invicem propinqui non sunt, prohibita sit.

LXXII. Quia vero eorum, qui per generationem ab una carne descendunt, vel per nuptias ad alterutrius conjugum carnem appropinquant, h. e. *consanguineorum & affinium* non una ad se invicem habitudo est, sed alii habent se ut gignentes & geniti; alii ut geniti ex eodem generante, & alii rursus attingunt se propius, alii remotius; ut quænam personæ sub *בשר שאר* carne carnis, sive *propinquis carne* comprehendantur, & matrimonium inire prohibeantur, penitus declarari & intelligi possit, constitui solent *consanguinitatis certæ lineæ, certique gradus*; ad quorum ductum postea etiam personarum, affinitate sibi invicem junctarum, habitudo, propinquitas & distantia, æstimanda est: de quibus proinde prius instituenda venit consideratio, quam progrediamur longius.

LXXIII. *Consanguinitas*, uti dictum, fundatur in *carnali generatione*, & dicuntur *consanguinei* à communi parentum sanguine, ex quo originem trahunt. Semen enim, ex quo generantur, producitur proxime ex sanguine parentum. *בשר שאר* autem sive *caro carnis*, vel *propinqui carne* dicuntur iidem, quod *sanguis*, ex quo originem trahunt, *potentia caro* est. Liberi enim non trahunt immediate originem ex carne parentum, sed ex illorum sanguine, in semen & menstruum converso, & ea sanguinis illorum pars, quæ postea convertitur in illorum carnem, est *potentia caro* illorum: quæ autem in semen aut menstruum, ex quo liberi carnem trahunt, convertitur, *potentia liberorum caro* est, &
caro

caro liberorum propterea rectè dicitur *caro de carne* parentum, aut *caro carnis* illorum, quòd *caro* illorum de sanguine illorum, qui *potentià caro* erat parentum, producta sit, docente *Thoma in Suppl. part. III. q. LIV. a. I. ad quartum*

LXXIV. Definitur autem consanguinitas, quòd sit *vinculum ab eodem stipite descendentium, carnali propagatione contractum*. Quam definitionem *Thomas d. l. laudat*, & consanguinitatem rectè per *vinculum*, tanquam per genus, definiri docet, quòd juxta Philosophum *VIII. Nic. c. XI, & XII*. consanguinitas sit amicitia quædam naturalis; amicitia autem omnis sit *ligatio sive unio* quædam, atque *vinculum*. Differentia specifica autem petitur à subjecto, personis scilicet, ab eodem stipite descendentibus; & à causa vinculi, nempe carnali propagatione, quâ contrahitur. *Stipitis vox* autem accipitur hic pro generante, à quo per carnalem propagationem descendunt, qui consanguinei dicuntur, metaphorâ ab arboribus desumptâ, quod liberi ab eo, velut rami arboris à stipite, descendant. Juxta *Johannem Andree*, Juris Consultum Bononiensem, in *Decl. Arbor. consang. c. XXXV. q. V*. Consanguinitas definitur, quod sit *attinentia personarum, ex eo proveniens, quia una descendit ab altera, vel ambe ab eadem, sensu ab altera, à Thoma adhibita, nihil diverso, quam ibidem etiam Auctor huic, velut æquivalentem, subjungit*. Monet tamen, nihil interesse, descendantne personæ illæ per carnalem propagationem una ab altera, vel duæ pluresve ab una *in legitimo matrimonio, an extra matrimonium? quantum quidem attinet ad causas matrimoniales, & leges, commixtionem carnis cum carne sua prohibentes*. In his enim spectari præcisè carnis propinquitatem, per propagationem carnalem contractam, sive propagatio illa fecundum, sive contra leges facta sit. Quantum verò attinet ad

successionem in hæreditate, juxta jus Civile, plurimum interesse, si tunc propinquitas carnis per carnalem propagationem in matrimonio legitimo; an extra matrimonium contracta? Juxta leges Civiles enim in hæreditate non succedere, nisi propinquos carne ex legitimo matrimonio.

LXXV. *Linea & gradus* voces transferuntur huc itidem per metaphoram: *Linea* vox quidem per metaphoram, desumptam à linea mathematica, quæ propriè loquendo est species quædam quantitatis continuæ. Quemadmodum enim linea constituitur ex punctis, & eorum continuo quasi fluxu constat, ita quæ per generationem ab uno stipite descendunt personæ, filius quidem à patre, nepos ab ejus filio, pronepos ab ejusdem nepote, & sic deinceps, constituunt lineam, metaphoricè sic dictam, quod sic descendentes à se habeant sese ut puncta, suo continuo fluxu lineam constituentia, vel etiam quod *linealiter*, ut cum *Thoma* loquar, inter se disposita sint. Nam *linea*, ut *Thomas d. l. a. II. ad tertium* docet, accipitur interdum propriè, pro ipsa dimensione, quæ est species quantitatis continuæ; aliquando verò impropiè pro his, quæ *linealiter* disponuntur, sicut v. g. in numeris assignatur *linea*, prout unitas post unitatem ponitur in aliquo numero; & in consanguinitate similiter, prout una persona genita post aliam ponitur, *linea* consanguineis assignatur. *Gradus* vox autem accipitur per metaphoram, à gradibus scalarum vel locorum proclivium desumptam, quibus in altum ascendimus vel ex alto descendimus.

LXXVI. *Linea consanguinitatis*, apud *Thomam*, loco jam citato, nihil est aliud, quam ordinata collectio personarum, consanguinitate conjunctarum, ab eodem stipite descendentium, diversos continens gradus. Sed quia personæ consanguineæ per hoc consanguinitate conjunctæ sunt, quod ab eodè stipite descendant, ne per tautologiam idem bis dicatur, possunt verba:

ba: consanguinitate junctarum; benè omitti, sicut &, iisdem omisfis, à *Johanne Andree* linea consanguinitatis d. l. definitur; quòd sit collectio personarum, ab eodem stipite descendantium; gradus continens, & numeros distinguens. Gradus verò, juxta eundem, est habitudo distantium personarum, quà cognoscitur, quos à agnationis vel cognationis distantia duæ persone inter se differant.

LXXVII. Linea constitui solet triplex: Nempe una personarum descendantium à communi stipite; altera ascendentium ad communem stipitem; & tertia collateralium. Quæ linearum distinctio, juxta *Thomam d. l.* fundatur in triplici personarum, ab uno stipite descendantium, communicatione cum communi stipite & inter se. Una est secundum habitudinem principii ad principiatum, & hæc est consanguinitas patris ad filium. Unde dicit (*Philosophus VIII. Nic. c. XII.*) quòd parentes diligunt filios, ut sui ipsorum aliquid existentes. Alia est (communicatio) secundum habitudinem principiatu ad principium, & hæc est filii ad patrem: unde dicit (*Philosophus*) quòd filii diligunt parentes, ut ab illis existentes. Tertia est secundum habitudinem eorum, quæ sunt ab uno principio ad invicem, sicut fratres dicuntur ex eisdem nasci, ut ipse (*Philosophus*) itidem dicit. Et quia punctus motus lineam facit, & per propagationem quodammodo pater descendit in filium: idèò secundum tres dictas habitudines, tres lineæ consanguinitatis sumuntur, scilicet linea descendantium, secundum primam habitudinem; linea ascendentium, secundum secundam; linea transversalis, secundum tertiam. Verba sunt *Thomæ d. l.* in corpore.

LXXVIII. Linea ascendens & descendens, quoad rem, una linea sunt: continent enim unas & easdem personas, à se descendentes, generantes scilicet, & genitas, quæ si in computatione graduum à generantibus ad genitos, à patre ad filium, à filio ad nepotem, & ab hoc ad pronepotem descendamus, linea descendens; sin à genitis ad generantes, v. g. à filio ad patrem, à patre ad avum, ab avo ad proavum &c. adscendamus,

damus, linea adscendens appellatur. Eadem enim personæ, quæ in linea descendente patris, filii nepotis &c. rationem & denominationem fortiuntur, in adscendente fortiuntur rationem & denominationem filii, patris, avi &c. Dicuntur etiam lineæ rectæ, quod in illis rectâ adscendamus à generantibus, vel à generantibus rectâ descendamus ad genitos.

LXXIX. Collateralium linea est series sive collectio personarum, ab uno communi stipite descendantium, quæ aliis, ab eodem stipite descendantibus, è latere junguntur, continentque fratres & sorores, & cæteras ab illis descendentes personas. Quod si personæ, sibi invicem è latere junguntur, à communi stipite æqualiter, sive gradu æquali distent, linea collateralis sive transversa *æqualis*; sin ab eodem distent inæqualiter, & una stipiti communi propior sit, altera ab eodem remotior, linea collateralis *inæqualis* dicitur.

LXXX. Cæterum ratio computandi personarum propinquitatem vel distantiam per gradus, pro diversitate juris *Civilis & Canonici*, diversa est.

LXXXI. In linea recta quidem, adscendente & descendente, conveniunt, valetque utrobique regula Canonistarum, quam *Johannes Andrea, d. l. Magisterialem* vocat: *Quot sunt personæ, de quibus queritur, computatis intermediis, unâ demtâ, tot sunt gradus inter eas.* Quam forsitan magis perspicue sic expresseris: *Quot intercedunt generationes inter personas, de quarum propinquitate vel distantia queritur, tot sunt gradus inter illas.* Ut enim nemo sibi ipsi propinquus est, sed alteri, ita nulla persona per se ipsam facit gradum propinquitatis inter consanguineos, sed comparata alteri, ad quam, in linea descendente quidem ut generans ad genitam, in adscendente autem ut genita ad generantem sese habet, & procedit proinde universaliter, quot intercedunt generationes inter personas, de qua-

quarum propinquitate aut distantia quæritur, tot gradus inter illas intercedunt. *Persona generata enim semper addit gradum*, ut dicitur in *Instit. de grad. Cogn.* Si verò cum Canonistis numeres personas, tum demenda est una. Nam ad generationem duæ requiruntur personæ, generans una, altera genita, quæ tamen unum constituunt gradum; intermediæ autem personæ, & generantium & genitarum sustinent habitudinem, alio tamen atque alio respectu, quæ propterea omnes connumerandæ sunt, atque adeò in numerandis gradibus pro numero personarum tantum una demenda est, nempe quæ stipitis locum sustinet. Demtâ autem unâ personâ, & intermediis connumeratis, tot manebunt personæ, quod generationes, & contrâ tot generationes, quot personæ; de quibus quæritur, adeoque res redibit eodem, sive dicas, tot esse gradus, quot personas, unâ demtâ, & intermediis connumeratis, sive dicas, tot esse gradus, quot generationes.

LXXXII. In lineis collateralibus autem differunt inter se plurimum ratio computandi gradus *Canonica & Civilis*. In *Canonica* æstimatur propinquitas & distantia personarum ex earundem habitudine ad stipitem communem, & toto gradu ab invicem distare dicuntur, quoto à stipite communi distant, valetque in linea equali regula hæc: *Quoto gradu distat quis, (vel potius distant personæ, de quarum propinquitate quæritur) à communi stipite, toto distant inter se.* In inæquali autem linea regula Canonica est: *Quoto gradu (persona) remotior distat à communi stipite, toto distant inter se.* Sed in *Civili* computatione graduum numerantur simpliciter generationes, ut tot gradibus inter se distent personæ, de quibus quæritur, quot generationes inter illas intercedunt: v. g. juxta jus *Canonicum* duo fratres, frater item & soror distant inter se uno gradu, quia à communi stipite uno tantum gradu distant; juxta jus *Civile* autem duobus distant gradibus, quia

quia duæ inter illos generationes intercedunt, & ita deinceps. Unde supra citatus *Johannes Andrea* Collateralium, juxta jus Civile, duas format regulas: unam in linea æquali: *Quot gradus quis distat* (vel potius personæ, de quibus quæritur, distant) à communi stipite, eorum duplicato distant inter se; alter in linea inæquali: *Quot sunt personæ (stipite demto) tot sunt gradus*; Quamvis regula una, juxta jus Civile, in linea recta & transversa, & in hac tam æquali, quam inæquali, sufficere possit, hæc scilicet; *Quot sunt generationes, tot sunt gradus*, sive quot generationes intercedunt inter personas, de quibus quæritur, tot gradibus illæ distant. Juxta jus Civile, enim in linea utraque numerantur simpliciter generationes, quæ inter personas, de quibus quæritur, & stipitem communem intercedunt.

LXXXIII. Sciendum tamen, quod in loco de conjugio & causis matrimonialibus ratio computandi gradus consanguinitatis, quam jus Canonicum præscribit, recepta sit, non Civilis. Quia de re qui vult, videat pluribus differentem *Alexandrum II. Papam*, & *Ad sedem*.

LXXXIV. Hæc de gradibus & lineis Consanguinitatis, *Affinitas*, ut supra dictum, contrahitur per nuptias, estque personarum propinquitas, orta ex nuptiis legitimis, juxta jus Civile de Grad. Cogn. l. non facile, §. sciendum, vel ex qualibet carnali conjunctione, juxta jus Canonicum. Dicuntur enim affines ex eo quod duæ cognationes, quæ diverse inter se sunt, per nuptias copulantur, & altera ad alterius cognationis finem accedit, ibid. §. Sed quoniam. Et juxta *Johannem Andrea* in Decl. Arb. affinitas dicitur eadem quasi duorum in unum finem unitas, eò quod duæ cognationes diverse per nuptias secundum leges, vel per coitum secundum canones copulantur, & alter ad alterius cognationis finem accedit.

LXXXV. Constituuntur vulgo genera affinitatis tria. Primi generis affinitas dicitur, quæ mediante una persona
con-

contrahitur: secundi generis, quæ mediante duabus personis; & tertii, quæ mediante tribus personis contrahitur. Quod intelligendum est de personis, per copulam carnalem junctis. Affinitas enim, uti dictum, fundatur in nuptiis, vel saltem in copula carnali. Hinc regula apud Canonistas: *Persona addita personæ per carnis copulam, mutat genus, sed non gradum.* Sic in primo genere uxoris consanguinei affines sunt marito ejus, & consanguinei mariti affines sunt uxori ejus: quia affinitas hæc contrahitur mediante unâ persona, alteri per nuptias juncta, ex parte consanguineorum mariti quidem mediante marito, uxori suæ per nuptias juncto: ex parte consanguineorum uxoris autem mediante uxore, marito suo per nuptias juncta. Quod si mortua uxore maritus aliam ducat uxorem, consanguinei demortuæ uxori alteri affines erunt in secundo genere: quia contracta est mediante duabus personis, una uxore demortua, per cujus nuptias ejus marito fuerant juncti, altera defunctæ relicto viduo, per cujus nuptias secundas ejus uxori secundæ affinitate juncti sunt. Quod si hæc, marito ejus demortuo, alteri nubat, defunctæ uxoris primæ consanguinei hujus alteri marito affines erunt in tertio affinitatis genere: quia affinitas hæc mediante tribus personis contrahitur: una scilicet, uxore sibi consanguineâ, quæ ejus marito juncta erat per nuptias primas; altera, viduo defunctæ primæ relicto, qui uxori secundæ junctus erat per nuptias secundas; & tertia defuncti uxore adhuc superstiti, quæ per nuptias secundas juncta est marito alteri.

LXXXIV. Caterum quæ in secundo & tertio genere sibi affines sunt personæ, eas matrimonio jungi nulla, neque naturæ, neque divinæ, & hodie etiam positivæ lex nulla prohibet, licet olim primus gradus secundi generis, lege Ecclesiasticæ, fuerit prohibitus, referente *Johanne Andrea in Decl. Arb.*

Arb. Aff. S. Circaboc. Quæ autem in primo genere sibi invicem affines sunt, illas lex naturæ & divina, in quibusdam gradibus, in quibusdam vero solæ leges humanæ matrimonio jungi prohibent.

LXXXVII. *Gradus* vero, quamvis in affinitate per se & propriè non dentur; non enim affinium unus ab altero descendit; per analogiam tamen assignantur huic etiam sui gradus, qui æstimantur & computantur pro ratione graduum consanguinitatis, ut quoto gradu consanguinitatis persona, cujus conjunctione matrimoniali affinitas contrahitur, juncta est suis consanguineis, toto gradu hi affines sint ei personæ, cui illa matrimonio juncta est: v. g. uxoris tuæ soror juncta est uxori tuæ in primo, filia ejus in secundo, & neptis ejus in tertio consanguinitatis gradu. Ergo iisdem gradibus eadem tibi junctæ sunt, soror quidem uxoris tuæ in primo, filia ejus in secundo, & neptis illius in tertio gradu, & quidem in primo affinitatis genere.

LXXXVIII. Neque lineæ graduum dantur propriè in affinitate, sed hæc etiam æstimantur ad modum linearum consanguinitatis: v. g. mater uxoris tuæ est uxori tuæ consanguinitate juncta in linea recta in gradu primo. Ergo & tibi affinitate juncta est in linea recta & gradu primo: soror uxoris tuæ est ei consanguinitate juncta in linea collateralis, gradu primo. Ergo tibi etiam affinitate juncta est in linea collateralis, gradu primo. Et sic deinceps.

LXXXIX. Jam quo consanguinitatis gradu consanguinei matrimonio jungi prohibentur, eo affinitatis gradu prohibentur etiam affines matrimonio sibi jungi.

XC. Et in linea recta quidem prohibentur lege divina, expressè quidem primus & secundus, cum consanguinitatis tum affinitatis, gradus, non quod cæteri, lege divina vel naturali permisi sint: respectus enim parentum &
libe-

liberorum, qui jure utroque impedit nuptias, in hac linea est perpetuus, neque longinquitate & distantia graduum expirat; sed quod de cæteris idem, quod de his duobus expressis, judicium sit, & eadem prohibitionis ratio militet. Hinc vulgo hæc solet, in linea recta, ascendente & descendente, prohiberi nuptias in infinitum. Sic Lev. XIX. *Nuditatem patris tui & matris tue non retegēs. Mater tua est; non retegēs. Nuditatem ejus.* Qui est primus consanguinitatis gradus lineæ ascendētis. v. 10. *Nuditatem filie filii tui, vel filie filie filii tui non retegēs; quia nuditatis illa est.* Qui est secundus consanguinitatis gradus lineæ descendētis. Rursum v. 8. dicitur *Nuditatem uxoris patris tui (i. e. uxorem tuam) non retegēs. Nuditatis patris tui est.* Qui est primus gradus affinitatis lineæ ascendētis. Et v. 15. *Nuditatem uxoris & filie ejus non retegēs. Filia matris tui, & filia filie ejus non accipies ad revelandam nuditatem ejus.* Qui sunt primus & secundus affinitatis gradus lineæ descendētis.

XCI. In linea Collaterali prohibentur jure divino à nuptiis consanguinei & affines in gradu primo ut & in gradu secundo lineæ inæqualis. Quo pertinent leges citato c. XIX. Lev. v. 9. *Nuditatem sororis tue, filie patris tui, vel filie matris tue, genitricis domi vel genitricis foris, non retegēs; v. 11. Nuditatem filie uxoris patris tui, matris patris tui, non retegēs; soror tua est.* Quæ sunt prohibitiones consanguineorum in primo consanguinitatis gradu lineæ transversæ, sive collateralis. Quæ autem continentur in v. 12. *Nuditatem sororis patris tui non retegēs, caro patris tui est; & v. 13. nuditatem sororis matris tue non retegēs, quia caro matris tue est; item v. 14. Nuditatem fratris patris tui non retegēs;* prohibitiones sunt nuptiarum inter consanguineos in secundo gradu lineæ transversæ inæqualis. Et quæ continentur in v. 10. *Nuditatem uxoris fratris tui non retegēs, nuditatis fratris tui est.* & v. 14. *Ad uxorem patris tui non accedes, uxor patris tui est; sunt*

prohibitiones nuptiarum inter affines in linea transversa: illa quidem inter affines in primo; hæc inter eosdem in secundo gradu lineæ inæqualis.

XCII. Utrum verò hæc lege divinâ expressæ prohibitiones omnes juris naturæ? an nonnullæ juris mere constitivi sint? & si juris naturæ sint, an ad solas personas, illis expressas, restringendæ; an verò ad alias, illis quidem non expressas, gradibus tamen consanguinitatis aut affinitatis iisdem distantes, extendendæ? controversum est.

XCIII. Ad priorem quæstionem excutiendam cum primis in ipsum fundamentum, cui prohibitiones enumeratæ omnes innituntur, paulò penitiùs inquirendum est. Illud verò, ut supra vidimus, constituitur *Lev. XIII. 6. in carne carnis, sive in propinquitate carnis.* Verba sunt: *Quilibet ad omnem carnem carnis suæ, vel ad omnem propinquam carnis suæ accedito ad retegendam nuditatem ejus.* Quæ, ut supra n. LXV. vidimus, lex universalis est, cum ex parte *subjecti*, tum ex parte *objecti*. De universalitate ex parte *subjecti* dubitatio nulla est. Præterquam enim quod vocula *וְכָל* geminata, apud Ebræos, vim signi universalis habet, & cum negatione, copulam afficientem, propositionem universalem negativam efficit, atque idem valet, quod *nemo* aut *nullus*; prædicatum etiam concernit rem mere naturalem, propinquitatem carnis scilicet, per generationem aut per nuptias contractam, quæ uti in mortalibus omnibus una & eadem est, ita cur universalitas legis, propinquos carne à nuptiis prohibentis, ex parte *subjecti* restringatur, aut unum magis, quàm alterum stringere dicatur, ratio nulla apparet. De universalitate autem ex parte *objecti* difficultas est. Verba enim: *אֶל-כָּל-שָׂרָא בְּשָׂרָא* *ad omnem carnem carnis*, etiam universalia sunt, quibus, si præse infisitamur, prohibebuntur à nuptiis *omnes propinqui carnis*, in quocunque gradu se invicem attingant. Quò respexisse vi-

se videtur *Alexander II. Papa C. XXXV. q. V. c. Ad sedem*, contendens, à nuptiis prohibendos esse consanguineos, quamdiu generatio recordatur, aut memoriâ retinetur. Et quia septem gradibus. sic canonicè & usualiter numerentur, omnia propinquitatum nomina contineri, nec ultra eos consanguinitatem inveniri, nec nomina graduum reperiri, nec successionem amplius prorogari, nec memoriter ab aliquo generationem recordari posse opinatur, ad septimum usque gradum leges de gradibus prohibitis extendit. Cui tamen obstat, quòd in legibus specialibus, *Lev. XIIX.* isti universali subjectis, Deus ipse prohibitiones in linea transversa ultra gradum secundum lineæ inæqualis non extendit.

XCIV. Hunc difficultatis nodum discussuri nonnulli dicunt, verbis Ebraicis: *בשרו בשרו* caro *carnis sua*, inesse emphasin, iisque non denotari quamvis, etiam remotam, consanguinitatem aut affinitatem, sed tantum proximam, & propinquos carne dici, qui proximè sese attingunt, quales sunt personæ, quarum una ex altera propagata est, parentes scilicet & liberi, vel quæ ex eadem carne propagatæ sunt, fratres scilicet & sorores, vel etiam soror & fratris filius. Et sic etiam in affinitate. Quorum sententiæ favere videtur, quòd non tantum in legibus specialibus *Lev. XIIX.* illud *בשרו בשרו* ultra hosce propinquos carne non extenditur, sed etiam in alio duplici loco Scripturæ: uno *Lev. XXI. v. 2.* alterò *Num. XXVII. 8. seqq.* propinqui carne eodem, quo illic, ordine recensentur, & intra eosdem etiam gradus concluduntur. In loco priori prohibetur, ne Sacerdos cadavere hominis demortui se contamine; in sequente autem *v. 3.* permittitur ei interesse funeri, si demortuus fuerit de carne ejus, propinquus ipsius. Qui autem de ejus carne, ac propinqui ei dicuntur, sunt mater, pater, filius & filia, & soror, quæ adhuc virgo fuit. Verba sunt: *שאר הקרב אליו* super carne sua, propinquo sibi, super matre sua, & super patre suo, & super

super filio suo, & super filia sua, & super sorore sua virgine, propinqua sibi, qua non fuit viro, super ea continebitur. In loco altero autem agitur de hæredibus bonorum paternorum, & præscribitur, quo ordine hæreditatem adire debeant propinqui defuncti. Verba habent ita: *Vir cum mortuus fu rit, & filius non (erit) ei, tum transire facietis hereditatem ejus ad filiam ejus. Et si non ei (fuerit) filia, tum dabitis hereditatem ejus fratribus ejus. Et si non (fuerint) ei fratres, tum dabitis hereditatem ejus fratribus patris ejus. Et si non (fuerint) fratres patris ejus, tum dabitis hereditatem ejus אריו הקרב אריו carni ejus, propinquo ejus de familia illius.*

XCV. Verum, quod pace illorum dixerim, de ista verborum אשר, emphati, qua solos proximiores consanguineos significant, non præter causam quis dubitaverit. Primum enim in citato c. Lev. XXI. 2. nomini אשר caro, additur אריו הקרב propinquus ipsi, quo אשר restrictitur utique vox אשר ad consanguineum proximum. Hac verò restrictione opus non esset, si ipsa vox אשר per se solos proximiores consanguineos significaret. Deinde in loco altero allegato, post enumeratos consanguineos proximiores, in hæreditate succedentes, filium scilicet, & filiam in linea recta, & fratres, ac fratres patris in linea transversa, subjungitur, quod, his omnibus deficientibus, hæreditas dari debeat אשר carni ejus de familia ipsius. Ubi vox אשר omnino usurpatur de consanguineis remotioribus, defunctum in tertio vel quarto gradu attingentibus, & additur rursum restrictionis loco אריו הקרב propinquo ei, ad significandum, inter remotiores etiam, qui ad defunctum se habent, ut אשר caro ejus, in hæreditate succedere debere eum, qui cæteris ipsi propinquior est. Tertio quid fiet de gradibus consanguinitatis remotioribus in linea recta, v. g. de proavo, atavo, tritavo in linea ascendente: & de pronepote, abnepote &c. in linea

linea descendente; & sic etiam de sexu fœminino: quid, inquam, de his fiet, si כשרות tantum consanguineos proximiores significat? An in gradibus remotioribus, tertio, quarto; & quinto nuptiæ de jure divino erunt permiffæ? Diverſum tanè ſentiunt veteres & recentiores Eccleſiæ Doctores plerique omnes, docentque, in linea recta, aſcendente & descendente, prohiberi nuptias, etiam de jure divino, in infinito.

XCVI. Dicendum ergo videtur, univerſalitatem, quam verba legis: *Quilibet ad omnem carnem carnis ſuæ ne accedat, ad retegendam nuditatem ejus*, ex parte objecti, propinquitatis carnis ſcilicet, important, non eſſe abſolutam, ſed accommodam, ut Logici loqui amant, & pro exigentia materiæ ſubjectæ, de carne carnis, ad quam in ſpecialibus legibus poſteà à Deo ipſo determinata eſt, explicandam. Et in linea tranſverſa quidem Deus prohibitionem per leges ſpeciales longius non extendit, quàm ad eos, qui in gradu primo, ut & in ſecundo gradu linæ inæqualis ſe carnis propinquitate attingunt. Cujus rei rationem ipſa res ſubſtrata ſuggerit. Propinquitatis carnis enim impedit nuptias partim per identitatem carnis phyſicam; partim per reſpectum parentum & liberorum, ex naturali generatione reſultantem. Per illam quidem: ne vel genitus filius ſanguinem, à parentibus in ſe derivatum, in genitricem, matrem ſcilicet ſuam reſundat, vel genitor ſanguinem ſuum in filiam ſuam, vel ut quandam ſui partem tranſfundat, & ſanguinem ſuum cum ſuo ipſiusmet ſanguine miſceat, vel denique qui ex eodem ſanguine nati ſunt, inter ſe miſceant ſanguinem: qui propagationis modi omnes, ut poſteà oſtendemus, contra naturam, & ita comparati ſunt, ut hominis natura ab illis abhorreat. Per hunc verò: quia cum liberorum naturali ſubmiſſione, reverentia & verecundia erga parentes, & cum

parentum naturali superioritate & auctoritate in liberos pugnat, parentes & liberos inter se carnaliter misceri. Quod ipsum etiam infra ostendetur uberius.

XCVII. Quod ergo ad unitatem & identitatem carnis physicam attinet, qui sibi à latere junguntur consanguinei, illi unitatem & identitatem carnis inter se non habent, nisi in ordine ad generantem, ex cujus carne carnem suam traxerunt: cum quo quia una caro sunt, ideo inter se etiam ut una caro, & ut caro carnis suæ sese habent. Trahunt autem carnem ex uno generante, suntque cum eo una caro, adæquatè quidem, qui in gradu primo sibi à latere ponuntur, fratres scilicet & sorores; inadæquatè autem, qui in gradu secundo lineæ inæqualis sibi junguntur, soror scilicet, & sororis aut fratris filius; ubi frater & soror fratris una caro sunt cum generante; filius autem & filia fratris aut sororis una caro cum eo non sunt, nisi in quantum ipsius pater aut mater una cum eo caro est. Longius si progrediaris, unitas & identitas carnis in uno generante ferè expirabit. Si enim in gradu secundo lineæ æqualis ad consobrinos & patruales perrexeris, unitatem carnis in uno generante non inuenies, nisi remoram, quæ absolutè loquendo unitas non est. Habent enim patruales & consobrini diversos generantes, non unum, neque adæquatè neque inadæquatè: multo minus eam deprehendes in tertio gradu, æqualis aut inæqualis lineæ, nisi in linea inæquali pars alterutra uno saltem gradu à communi stipite distet: tum enim inter eos perinde inuenitur unitas quædã in uno generante inadæquata, ut in secundo gradu lineæ inæqualis, minor tamen, quam in secundo gradu, quòd in gradu tertio persona remotior à communi stipite longius distet, quam in gradu secundo.

XCVIII. In linea recta autem, ascendente & descendente, licet *Lev. XVIII.* etiam proximiores tantum gradus, pri-

primus scilicet & secundus, prohibeantur, tamen juxta communem veterum & recentiorum Doctorum sententiam nuptiæ, de jure divino & naturæ, prohibentur in infinitum: cujus rei rationem rursus ipsa materia substrata suggerit. Licet enim carnis propinquitas & identitas physica in gradibus remotioribus minor sit, quàm in proximioribus, tamen, qui ex generationis actu resultat, parentum & liberorum respectus expirat nunquam, sed v. g. abnepos, qui generatione quartâ demùm descendit à suo atavo, tam habet rationem filii ad eum, quàm ad suum patrem filii rationem habet, & quam reverentiam debet patri suo. eam, si non majorem, ob ejus ætatem grandiozem, debet etiam suo atavo. Quod usque adeò naturæ consentaneum est, ut in primis gentium & populorum initiis in vico, qui erat societas, ex pluribus domibus, ab uno communi stipite sive genitore descendentibus, composita, semper qui senior erat, reliquis imperaret. Quemadmodum enim eum ut communem parentem omnes reverebantur, ita eidem, ut Regi, per naturam supra se constituto, parebant. Et hanc fuisse causam, cur initio sub Regibus essent civitates, docet *Aristoteles I. Pol. c. 1.*

XCIX. Quemadmodum autem *בשר בשר* caro carnis importat vinculum personarum prorsus naturale, primò quidem, ut supra ostensum, carnaligenatione; & deinde etiam nuptiis contractum, quod suapte naturà personas, propinquitate carnis sibi junctas, à nuptiis excludit, ita fundamentum præbet legum planè naturalium sive moralium, quæ, per se & vi materiæ substratæ, etiam præcisâ voluntate legislatoris, obligandi vim habent. Quod ipsum vel inde patet, quod in legibus specialibus, *Lev. XIX.* ex prædicta generali deductis, ferè ubique abjicitur prohibitionis ratio, ex ipsa re substrata, atque adeò ex intrinseca legum natura desumpta: v. g. cur filius non debeat reterege turpitudinem ma-

matris suæ, redditur ratio *v. 7. quia ejus mater est.* Cur non debeat reterege turpitudinem novercæ suæ, redditur ratio: *quia est turpitudinis patris ejus.* Cur neptis tuæ ex filio aut filia turpitudinem reterege non debeas, redditur ratio *v. 10. quia est turpitudinis tua.* Cur non debeas reterege nuditatem fororis tuæ, consanguineæ aut uterinæ, redditur *v. 10. ratio: quia est soror tua.* Cur turpitudinem fororis patris & fororis matris tuæ reterege non debeas, redditur *v. 12. & 13. ratio: quia est caro patris tui vel caro matris tue.* Cur turpitudinem uxoris patrui tui reterege non debeas, redditur *v. 14. ratio: quia uxor patrui tui est.* Cur turpitudinem nurus tuæ reterege non debeas, ratio redditur *v. 15. quia uxor filii tui est.* Cur turpitudinem uxoris fratris tui reterege non debeas, redditur *v. 16. ratio: quia turpitudinis fratris tui est.* Cur turpitudinem privignæ tuæ, ejusve filia reterege non debeas, ratio *v. 17. redditur, quia caro tua sunt, & commixtio hæc scilicet est.* Quæ ex ipsa legum materia substrata petita rationes prohibendi nullæ forent, si leges ipsæ essent merè positivæ, & vim obligandi omnem haberent ex Dei voluntate, nullam ex se & sua intrinseca natura. Nam hujus generis leges sunt de rebus sua natura indifferentibus, quæ hoc ipso quod indifferentes sunt, fieri & non fieri, & sic & aliter fieri possunt, absque peccato, ut, si prohibeantur, prohibitionis ratio ex illarum intrinseca natura peti nulla possit. Quia igitur in legibus adductis omnibus ratio prohibitionis ex ipsa illarum materia substrata petitur, supponitur utique tanquam notum, quod per se turpe & naturæ rationali disconveniens sit, filium reterege turpitudinem matris; filiam turpitudinem patris: privignum reterege turpitudinem novercæ, & vitricum reterege turpitudinem privignæ, & sic de cæteris.

C. Vi ergo prædictæ legis generalis: *Nemo ad ullam carnem carnis suæ accedat ad reterege nuditatem ejus;* & vi-

ra-

rationum prohibendi, in legibus specialibus adjectarum, v.g. *mater tua est, turpitude patris tui est, &c.* naturæ rationali per se disconveniens, indecens & turpe est illos, quos diximus, propinquos carne matrimonio jungi.

¶ *ii.* Atque hujus rei ratio non una in ipsa natura occurrit. Primum enim ad generationem prolis natura destinavit duos, qui non essent, sed per copulam carnalem fierent una caro. Ita enim habet primæva conjugii institutio, à Deo & verbis promulgata, & hominum mentibus implantata: *Relinquet vir patrem suum & matrem suam, & adheret uxori suæ, & erunt in carnem unam.* Quod natura ita constitutum est, ut mas & fœmina ad sui multiplicationem matrimonium iniri relinquant patrem suum & matrem suam, causa haud dubiè est, quòd cum patre & matre sint una caro; naturæ rationali autem non conveniat eos, qui inter se una caro sunt, ad sui multiplicationem carnaliter inter se misceri, sed quemadmodum multiplicatio unitati opponitur, & fit per divisionem, ita multiplicationem hominis per generationem natura fieri amat per semen, non intra unitatem suæ carnis conclusum, sed extra eam propagatum, atque adeò natura mas & fœmina desiderant extra unitatem carnis suæ ad sui multiplicationem & generationem prolis conjungi, & vir quidem relictis parentibus, iisque qui unitatem carnis cum illis habent, natura adhærere desiderat mulieri, extra domum paternam adscitæ, & vicissim mulier, relictis parentibus & iis, qui unitatem carnis cum illis habent, natura desiderat adhærere viro, qui sit extra domum paternam, & ex hoc natura insitò appetitu ac desiderio abhorrent ambo à commixtione cum sua carne ad sui multiplicationem, tanquam à commixtione, naturæ rationali disconveniente & turpi. Cujus rei vestigia advertimus etiam in aliis rebus, quæ per generationem se multiplicant.

H

cant

cant se per semen, à se quidem productum, non autem intra se receptum, sed separatum & in terram, velut matricem, immisum, vel per furculos, à se decisos, & stipitalii, non sibi, insitos: ovipara ex ovis, à se productis, extra se excludunt pullos, seque multiplicant: & quædam bruta animalia naturâ abhorrent à commixtione cum sua carne ad sui multiplicationem, sicut constat exemplo camelorum, qui, referente *Aristotele lib. IX. de Hist. Animal. c. XLVII. matres nunquam superveniunt suas: sed etiam si quis cogat, non patiuntur.* Ubi etiam duplicem memoratu dignam historiam narrat. Unam de camelo, quem, admissario deficiente, curator camelorum matri operatæ admiserat, sed qui, delapso operimento, & agnito, cum matre se rem habuisse, camelarium, velut sceleris auctorem, interfecerit. Alteram de equo Regis Scytharum, qui admissus matri congressum prorsus reculerit; ubi autem matri operatæ supervenisset, detestata & agnita facie matris, fugam arripuerit, & seipsum actum præcipitem interemerit. Quam posteriorem historiam refert etiam *Plinius lib. VIII. Nat. Hist. c. XLII.*

III. Quod si verò per naturam ita constitutum est, ut matrimonium iniens vir relinquat patrem suum & matrem suam, & adhæreat uxori suæ, sanè per naturam maritus non potest esse pater uxoris suæ. Non enim potest seipsum pater relinquere. Neque potest esse uxoris suæ filius. Non enim filius potest relinquere matrem suam, & tamen eam habere uxorem. Neque per naturam potest esse nepos uxoris suæ. Non enim relinquere potest matrem suam, quin relinquat etiam aviam suam, quæ cum matre sua una caro est. Porro si per naturam ita constitutum est, ut vir matrimonium iniens patrem suum & matrem suam relinquat, & uxori suæ adhæreat, per naturam maritus non potest esse frater uxoris, nec soror fratris uxor. Nam frater & soror sunt

sunt aliquid patris & matris, & caro carnis eorum: & quemadmodum pater non seipsum, ita nec filius patrem & matrem relinquere, & tamen forori, quæ patris ac matris pars est, adhærere potest. Neque per naturam filius patris aut matris potest esse maritus amitæ vel materteræ suæ: cum amitæ una caro sit cum ejus patre; & materteræ una caro cum ejus matre. Non enim fieri potest, ut quis relinquat patrem & matrem, & tamen adhæreat amitæ, quæ cum patre; aut materteræ, quæ cum matre una caro est.

CIII. Rursum si per naturam ita constitutum est, ut duo, ex parte carnis diversi, per vinculum conjugale jungantur in unam carnem, per naturam pater non potest esse maritus filiæ; neque filius maritus matris, neque etiam avus aut proavus potest esse maritus suæ neptis aut proneptis, vel nepos & pronepos maritus suæ aviæ aut proaviæ: cum omnes ex uno sanguine descendant, & inter se ut una caro sese habeant. Liberi enim, ex parte carnis, sunt aliquid parentum, & parentes diligunt eos, tanquam aliquid sui: sunt enim pars quædam carnis illorum separata, & *ὡς ἑτεροὶ ἀντὶς*, tanquam alteri ipsi, ut loquitur *Aristoteles VIII, Nic. c. XII*. Neque etiam per naturam frater potest esse maritus fororis, vel soror uxor fratris, Quia & hi non sunt duo, ratione carnis, sed una caro. Licet enim frater non descendat à forore, neque soror à fratre, descendunt tamen ambo ab uno patre, vel ab una matre, vel ab utroque parente eodem, & uterque est pars carnis ejus, à quo geniti sunt, & caro, non immediatè, sed in iisdem parentibus unita, atque adeo una. Hinc scitè ait *Aristoteles d. l. fratres inter se amare, quòd ex iisdem sint nati*. Nam eo ipso quòd idem sunt, atque illi (parentes) fieri, ut inter se quoque sint idem. Idcirco de fratribus nos ita loqui solere: *Idem sanguis, stirps eadem &c. esse ergo quodammodo unum & idem; etiam in corporibus divisis & separatis*. Neque filio ducere licet, amitam suam, aut filiæ

nubere, licet patruo suo: quia & hi non sunt duo ex parte carnis, sed ut filius ac filia aliquid patris, & pars carnis ejus sunt, ita & hæc cum patruo suo sive fratre patris, & ille cum amita sua sive sorore patris una caro est, ob patris ejusque fratris & sororis identitatem in iisdem parentibus. Quæ autem naturæ conjugii ejusque in natura fundatæ institutioni repugnant, ea per se important indecentiam quandam sive disconvenientiam cum natura rationali, ut rationalis est, atque adeo turpitudinem. Conjugium enim est societas secundum naturam, & naturæ rationali convenienter instituta, estque turpe & indecens, quicquid ejus naturæ ac in natura fundatæ institutioni adversatur.

CIV. Deinde propinquitas carnis natura comitem habet verecundiam & pudorem, quo verentur inter se committere propinqui carne, quæ naturæ rationali disconveniunt & turpia sunt, & quò arctiori vinculo carnis eos natura colligavit, eò magis abhorrent alter in alterius conspectu tale quid patrare. Retegere autem membra, quæ jam post lapsum natura pudoris & verecundiæ causa tecta esse vult, iisque carnaliter misceri, quemadmodum tale quid est, quod jam post lapsum conjunctum est cum quadam indecentia & turpitudine, cum primis ob inordinatos concupiscentiæ motus, naturæ rationali disconvenientes, ut supra ostensum, ita quæ propinquitatem carnis comitatur verecundia & pudor naturalis, à carnali commistione propinquorum carne tanto abhorret vehementiùs, quanto carnis vinculum inter eos est arctius. Et speciatim quidem qui se habent ut generantes & geniti, inter eos, vi naturalis generationis, ea est habitudo, ut nati sive liberi suis parentibus, a quibus & vitam, & sui educationem habent, natura submissionem, reverentiam & honorem debeant; & parentes contra natura superiores sint illis, habeantque se ad eos, ut in uno corpore hu-

humano caput ad cæteras corporis partes, quibus præest, & suum influxum præbet, eosque velut partes suæ carnis tenerrimè diligant, foveant & nutriant. Quemadmodum autem naturali verecundiæ & pudori per se adversatur aliquid turpe admittere in conspectu superiorum: quibus natura reverentiam, submissionem & honorem debeas, vel coram inferioribus, quibus natura superior sis & imperes, ita liberos coram parentibus, & parentes coram liberis denudari illis corporis partibus, quas natura verecundiæ & pudoris causa tectas esse vult, & carnaliter inter se misceri, ex parte utraque naturali repugnat pudori & verecundiæ. Qui autem se habent ut nati ex iisdem parentibus, fratres scilicet & sorores, licet natura alii aliis superiores inferioresve non sint, habent tamen se ut partes illorum, quibus ambo æquè natura inferiores sunt, ut reverentiam & submissionem illis debeant, & quos proinde inter se agere pudor naturalis prohibet, quicquid coram vel cum parentibus agere idem natura in fitis pudor prohibet, propter unitatem carnis, quam cum parentibus, & ob æqualem sui ab illis dependentiam, inter se habent. Filia autem patris patruo, & filius amita & matertera etiam inferior est natura, propter unitatem carnis cum illorum patre, quo natura inferiores sunt. Unde quemadmodum filiam coram patre denudari, & cum eo carnaliter misceri; ita & coram fratre, qui patris quasi pars est, & coram patruo, qui cum patre una caro est, eam denudari, & carnaliter cum eo misceri, contra naturalem pudorem & verecundiam est. Naturæ rationali autem disconveniens, indecens & turpe est, quicquid cum naturali pudore & verecundia pugnat.

CV. Tertiò conjugium importat æqualitatem quandam inter conjuges, quantum attinet ad actus conjugales & administrationem rei domesticæ: venit enim uxor, ut ut aliàs marito subjectionem & obsequium debet, in partem ad-

ministracionis rerum domesticarum, & quam potestatem maritus habet in corpus uxoris, eam vicissim uxor habet in corpus mariti, *I. Cor. VII. 3.* Filia autem patre, & filius matre naturâ inferior est, & illa patri debet subjectionem & reverentiam, ut debitam ei, à quo ipsam vitam habet; hæc similiter matri naturâ debet subjectionem & reverentiam, ut ei, à qua ipsam vitam habet, ut hunc matri velut maritum uxori, præponi; illam patri, ut uxorem marito, in officiis conjugalibus æquari, etiam naturæ, naturalique reverentiæ, parentibus debitæ, repugnet. Unde & hoc intuitu natura à nuptiis parentum & liberorum abhorret, & ratio, eodem naturæ stimulo ducta, ab iisdem prorsus abstinendum dicitur. Quamvis verò in linea transversa æquali hæc subjectionis & superioritatis habitudo non intercedat: fratres & sorores enim, uti dictum, inter se natura æquales sunt, in inæquali tamen linea invenit eadem locum: patruus enim ut cum fratre suo unius carnis caro, ita filiæ fratris sui loco patris, & hæc eidem loco filiæ est, quæ eidem filialem debet subjectionem, reverentiam, & honorem; & matertera sive soror matris, ut cum matre filii unius carnis caro, & filio sororis loco matris est, ita hæc eidem filialem reverentiam, obedientiam & honorem debet: ut hos etiam matrimonio jungi contra naturam naturalemque reverentiam & verecundiam sit.

CVI. Porro quæ consanguinitatis, ea affinitatis quoque, quoad præsens quidem, ratio est. Quamvis enim, si alteram cum altera conferas, consanguinitatis necessitudo multo arctior sit, quàm affinitatis: Illa enim realem importat dependentiam unius personæ ab alia, vel duarum pluriumve ab una per carnalem generationem. Hæc autem illius saltem similitudo & quoddam quasi simulacrum est, nullamque realem personarum, quæ sibi invicem affines dicuntur, dependentiam importat, nec à se invicem, nec ab alia tertia, sed fundatur

datur in solis nuptiis, per quas quia maritus & uxor una caro facti sunt, ideo, & propter easdem nuptias consanguinei mariti ad uxorem illius; & consanguinei uxoris ad maritum illius eandem sortiuntur habitudinem, quam illi ad uxorem sibi consanguineam; & hi ad maritum sibi consanguineum sustinent: tamen quod ad nuptias attinet, quibus mas & foemina procreandæ sobolis causa junguntur in unam carnem, par utriusque ratio est, & quo gradu consanguinitas natura impedit nuptias, eo gradu affinitas easdem natura impedit. Quam enim naturæ rationali disconueniens, indecens & turpe est personas, quarum una ab altera, vel ambæ ab una tertia carnem suam acceperunt, carnaliter inter se misceri, tam disconueniens ipsi, indecens, & turpe est misceri quempiam carnaliter cum persona, quæ per nuptias cum ea, à qua ipse, vel quæ ab ipso, vel cum qua ipse ab una tertia carnem suam per generationem accepit, una caro facta est. Quamvis enim sic v. g. in nuptiis privigni cum noverca sanguis à privigno non refundatur in suam genitricem, refunditur tamen in eam, quæ cum ejus genitore una caro, & ipsi loco genitricis est, in novercam scilicet: & quamvis v. g. in nuptiis vitrici cum privigna per carnalem commixtionem sanguis à vitrico non transfundatur in filiam, velut in carnem suam, transfunditur tamen in eam quæ uxoris suæ, & propter uxorem suam etiam caro, eique loco filiæ est, in privignam scilicet, & licet in nuptiis cum fratria sive fratris defuncti vidua frater defuncti per carnalem commixtionem non transfundat sanguinem in sororem, cum qua ab uno genitore carnem accepit suam, transfundit tamen eum in illam, quæ una caro est cum eo, cum quo ab uno genitore carnem suam accepit, & ipsi loco sororis est, & sic deinceps. Unde quot natura suggerit causas, inter consanguineos nuptias in linea recta & transversa impediens, tot suggerit eadem causas, quæ inter affines in

in

in linea utraque nuptias impediunt, faciuntque, ut ab his non minus natura abhorreant homines, quàm ab illis, sicut & olim & nunc gentes, quibus aliqua morum cultura est aut fuit, à nuptiis utrisque abhorruerunt & abstinuerunt, & adhuc ab iisdem abhorrent atque abstinent.

CVII. Clarissimus Vir, Dn. Samuel Puffendorffius lib. VI. de Jure naturæ c. I. §. 28. agnoscit, apud omnes gentes, queis aliqua morum est cultura, communi persuasione receptum deprehendi, ut nuptias impuras contrahere, censeantur persone, certis gradibus consanguinitatis junctæ, aut affinitatis nexu copulatæ: existimat tamen, non satis tuto causam hujus rei constitui in abhorrentia affectuum humanorum, quasi omnes qui per pravam educationem aut vitiosum habitum non sunt corrupti, in ipsis sensibus deprehendant aliquid, tali commixtioni repugnans: cum (1) ista affectuum repugnantia non apud omnes equaliter deprehendatur. (2) eandem jaectantibus reponi non absurdè possit, ipsam non tam ex congenito principio, quàm ex diuturnis moribus, qui naturæ indolem mentiantur, provenire. Neque (3) circa jus naturæ eruendum adeò tutum sit judicium sensuum atque affectuum consulere; cum ex adverso concludi possit, illa quoque jure naturali præcipi, in que sensus & affectus acerrimè feruntur: quorum tamen pleræque isti juri adversentur.

CVIII. Verùm, quod salvo ejus judicio dixerim, hæ rationes nobis cogentes esse non videntur. Quod enim ad (1) attinet, licet ista affectuum repugnantia, ut ille loquitur, non apud omnes mortales equaliter deprehendatur, sufficit tamen, quòd apud omnes, queis aliqua morum est cultura, & qui per pravam educationem aut vitiosum habitum non sunt corrupti, æquè deprehenditur. Hocce autem ab ejus generis nuptiis abhorruisse & abhorrere, eò minùs Auctor diffiteri poterit, quòd fatetur, apud omnes gentes, queis aliqua morum est cultura, communi persuasione receptum esse, prædictas consanguineorum & affinium nuptias esse impuras. Neque (2) major causa est, cur

cur *abhorrentia* illius originem potius in *mores diuturnos*, quæ *nature indolem mentiantur*, quam in naturam ipsam referantur. Quin contra potius mores diuturni, si naturæ & rationi rectæ consentanei sint, matrem agnoscunt naturam, non naturæ mores diuturnos. Quid? quod populorum & gentium origines in historiis sacris & profanis passim descriptæ extant, neque tamen legitur, quod initio statim parentes cum liberis, aut fratres cum sororibus, extra casum extremæ necessitatis, conjugia inierint. Quod sanè indicio est, eos ex *congenito principio*, sive natura, non ex diuturnis moribus, qui in primis gentium & populorum initiis esse non poterant, ab ejus generis conjugiiis abhorruisse. Denique (3) fatemur ipsi etiam, *circa jus naturæ eruendum tutum non esse simpliciter iudicium sensuum & affectuum consulere*, præsertim in rebus, sensibus gratis & acceptis, in quas plerumque sensus feruntur absque ratione, vel contra rectæ rationis dictamen. Quando autem sensus & affectus, communiter in integris gentibus & populis abhorrent à re, sibi alias grata & jucunda, idque iudicio rectæ rationis convenienter, sicut heic, v. g. vegetus pater & filia formosa, frater & soror, corporis forma conspicui, filius, & mater nec vetula nec deformis, natura arctissimo amoris vinculo ad alia quævis officia inter se devincti, in omnibus benè cultis gentibus à solis amoris & jucunditatis plenis officiis conjugalibus, in quæ alias natura propensi sunt, inter se abhorrent: tum dicimus, ejusmodi naturalem *abhorrentiam* esse naturæ hominis ab ipso auctore naturæ peculiariter insitam, & quod ejus ductu communiter omnes faciunt, esse juris naturæ. Ratio est: quia à nudo sensuum iudicio ea esse non potest. Si enim pater habeat filiam formosam, & frater formosam sororem, si sensuum iudicium consulendum esset, propenderet potius pater in conjugium cum filia, alias scemellas forma corporis

ris & dotibus animi forsan superante; & frater in conjugium cum sorore, aliis scemellis præstantiore, quam cum alia quavis scemina. Neque alia causa, à qua originem trahat, præter Deum, vel fingi potest. Est ergo ab auctore naturæ Deo naturæ hominis implantata, ut dictamini rationis rectæ in his, quæ juris naturæ sunt, facilius se conformare, & acceleratis nuptiis, cum jure naturæ pugnantibus, abstinere possint, & ratio vicissim illius ductu in suo dictamine & iudicio juvaretur.

CIX. Quò accedit denique, quò commixtiones personarum in gradibus consanguinitatis & affinitatis, *Lev. XIX. prohibitis*, ibidem *v. 26. & 27. & c. XX. 23.* dicuntur *התערבות* *abominations*, quibus se polluerint gentes, & è terra sua ejectæ sint. Illæ verò non potuissent se ex parte gentium habere ut *abominations*, nisi per se & suâ naturâ turpes & abominabiles, & leges ipsæ, quibus prohibentur, naturales essent. Ex Dei prohibentis voluntate enim & legibus positivis id habere non poterant: cum Gentibus illis Deus nullas leges positivas præscripsisset & promulgasset.

CX. Sed hîc dissentiunt à nobis Pontificii. Et ut nunc taceam *Thomam*, qui in *Suppel. part. III. q. LIV. art. III. & in II. II. q. CLIV. art. IX. ad tertium* statuit, solum primum consanguinitatis gradum in linea recta, qui est inter patrem & filiam; filiumque & matrem, de jure naturæ esse prohibitum; cæteros autem consanguinitatis & affinitatis gradus prohiberi solâ lege positiva, divina partim, partim humana; & qui in eandem sententiam citantur, *Bonaventuram in Dist. XL. art. un. q. II. Scotum, Alensem, Durandum, Richardum, Paludanum, Cajetanum*, aliosque plures: quos ex recentioribus sequitur *Petrus Cornejus in III. Part. Thomæ Tract. VI. Dub. XII. & seq.* *Bellarminus in lib. de matr.* ubi controversiam hanc contra nos fratres ex instituto tractat, *capite XXVII.* contendit ope-

operosè, non omnia præcepta Levitici de gradibus cognationis esse de jure natura. Quænam verò de jure naturæ sint, declarat in sequente cap. XXIX. propositione tertia: *Jure naturæ, inquit, interdicta sunt conjugia in primo gradu consanguinitatis, tam in recta linea, quam in transversa, & in primo gradu affinitatis, in recta lineatantum. Ubi tamen addit, se nihil dixisse de secundo & tertio & sequentibus gradibus in recta linea (consanguinitatis) non quod eos non putet jure naturæ prohibitos, sed quia eadem ratio esse videatur de primo & de cæteris. Nam etiamsi in gradibus remotioribus minor sit propinquitas sanguinis, tamen majorem esse inæqualitatem etatis, quæ de defectum illum propinquitatis compenset.*

CXI. Juxta Bellarminum igitur conjugia in gradu secundo consanguinitatis, lineæ transversæ inæqualis, & in gradu secundo affinitatis lineæ rectæ, itemque in affinitatis gradu primo lineæ transversæ, ac secundo ejusdem inæqualis lineæ nuptiæ de jure naturæ permixtæ sunt.

CXII. Quia tamen juris naturæ appellatio latè patet, Bellarminus in citato c. XXVII. §. *Advertendum est secundo, majoris perspicuitatis causa monet, tribus modis posse aliquod præceptum prohibens dici naturale. Primo quia sit de re intrinsecè mala, ita ut semper & apud omnes sit mala, nec possit per circumstantiarum mutationem fieri bona: qualia sint mentiri, mæchari, odisse Deum. Secundo quia sit de re mala semper & apud omnes, exceptà extremà necessitate: quale est tollere alienum invito Domino. Id enim apud omnes & semper esse malum, exceptà ultimà necessitate: tunc enim, quod erat alienum, desinere esse alienum, & fieri commune. Et hæc etiam præcepta vim habere legis naturalis, & esse indispensabilia, nisi cesset obligatio, extremà necessitate adveniente. Tertio quia sit de re mala, si res illa nudè & absolutè sumatur: quæ tamen possit, mutatis circumstantiis, variis modis honestari ac fieri bona: quale sit occidere hominem. Nam homicidium, absolutè & nudè sumtum, quid malum sonare, apud omnes, & hoc modo haberi in deca-*

Iogo: Non occidet; tamen si addantur circumstantiæ variæ, ut quod fiat publicâ auctoritatē, ob bonum commune, in eum qui pernitiosus est Republicæ, jam non malum sonare, & ideo in eadem lege, Moſis sæpe jubentur occidere homines, ut malefici, adulteri, homicidæ &c. Et hoc tertio modo præcepta naturalia vim habe- legis, ſi agatur de re nudè ſumpta. Si autem agatur de adhibitis variis circumſtantibus, non habere vim legis, quia tunc res illæ mutabiles ſint, neque ſint apud omnes eadem, & ideo neceſſe eſſe, ut ſanciantur ſpeciali lege poſitiva, ſi omnino prohibendæ ſint.

CXIII. Quibus ita declaratis, ſubjungit, primo & ſecundo modo intelligendum eſſe, quod dixerat *non omnia præcepta Levitici de gradibus cognationis eſſe naturalia: nam tertio modo poſſe concedi, omnia eſſe naturalia.*

CXIV. Non equidem negaverim, præcepta Levitici de gradibus conſanguinitatis & affinitatis diſferre inter ſe ex parte materiæ ſubjectæ, & in aliquibus majorem inveniri diſconvenientiæ rationem cum natura rationali, quàm in aliis. Et primùm quidem ut conſanguinitatis vinculum ſuapte natura arctius eſt vinculum affinitatis: illud enim, ut ſupra oſtenſum, contrahitur per naturalem generationem, qua una perſona ab altera, vel duæ ab una carnem acceperunt ſuam: hoc autem contrahitur demum per nuptias, mediante alia perſona, carne propinqua, eſtque illius quoddam ſimulacrum; ita in conſanguineorum nuptiis ſemper diſconvenientiæ & turpitudinis ratio major eſt, quàm in nuptiis affinium, etiam in iisdem gradibus prohibitis, v. g. in linea recta gradu primo major deprehenditur ratio turpitudinis in nuptiis patris cum filia, & matris cum filio, quàm in nuptiis virici cum privigna, & privigni cum noverca: vinculum carnis enim inter filiam & patrem, ac filium & matrem, arctius eſt, quàm inter privignam & vitricum, privignum & novercam. Illi enim
carnem

169.
carnem suam ex carne patris ac matris traxerunt per generationem: horum verò neuter a vitrico aut noverca traxit carnem suam, sed privigna attingit vitricum tantum, mediante matre sua, quæ cum vitrico ipsius per nuptias una caro facta est; & privignus attingit novercam mediante patre suo, qui per nuptias cum illa una caro factus est. Deinde in linea consanguinitatis transversa in gradu primo inter fratres & sorores non tanta est necessitudo, quanta in linea recta inter parentes & liberos est. Liberi enim descendunt a parentibus; non autem sorores a fratribus, vel fratres a sororibus: neque tanta necessitudo inter affines in gradu primo lineæ transversæ est, quanta est inter consanguineos in gradu primo lineæ ejusdem: fratres enim & sorores unum habent principium proximum sui esse, suntque velut rami unius stipitis, & quasi partes unius corporis: frater autem & fratris defuncti vidua sive fratris, itemque viduus atque soror suæ uxoris defunctæ non habent unum proximum sui esse principium, neque attingunt se invicem immediatè, sed ille attingit fratriam mediante fratre demortuo, qui cum relicta vidua per nuptias factus fuerat una caro; & hic attingit sororem uxoris defunctæ mediante uxore defuncta. Rursum in linea transversa inæquali tanta necessitudo inter patrum & filiam fratris ejus, & inter materteram illius & sororis filium non est, quanta in linea æquali inter fratres & sorores est: cum hi ambo ab iisdem parentibus æquè immediatè dependeant, & a se invicem uno tantum gradu distent; illorum verò alter tantum immediatè, alter verò mediatè ab unis dependeat parentibus, & sic a se invicem gradibus duobus distent: & simili modo in affinitate res habet. De hoc igitur nulla dubitatio, lis & quæstio nulla est, nisi in eo autem vertitur cardo controversiæ: Annon in gradibus consanguinitatis & affinitatis,

70.
ris; *Lev. XIII.* prohibitis; nuptiæ omnes; nihil quicquam
obstante ista necessitudinis inæqualitate; contineantur in-
tra spheram eorum, quæ per se & suapte natura disconve-
niunt naturæ rationali, ut rationali, & turpia sunt, atque ad-
eò an præcepta, eas prohibentia; omnia moralia sunt, in
quibus jus & potestas dispensandi nec Pontifici nec Ma-
gistratibus aliis conveniat?

CXV. Quò minus autem cum Pontificiis in nega-
tivam quæstionis partem descendamus, obstant, quæ pro
affirmativa hætenus fusè differuimus. Primum enim, ut
paucis repetam, lex illa generalis *Lev. XIII. 6.* *Nemo ad
ullam carnem carnis suæ accedat* &c. moralis est, & ex se vim
obligandi habet, ut supra ostensum. Sub ea autem com-
prehenduntur omnes leges speciales de gradibus prohibi-
tis, ibidem subjectæ. Deinde commixtiones omnium gra-
dium, ibidem interdictæ, dicuntur *abominationes*, quibus se
polluerunt gentes. *In his omnibus polluerunt se gentes, quas ego
ejiciam à facie vestra*, ait Deus *Lev. XIII. 25.* Et rursum:
Omnia hæc fecerunt gentes, & detestatus sum eas, c. *XX. 23.* Non
potuissent autem commixtiones illæ ex parte gentium Deo
ita abominabiles esse, nisi sua intrinseca natura essent tur-
pes. Cananæis enim leges positivæ de fugiendis illis nu-
ptiis à Deo præscriptæ & promulgatæ non fuerant. Ter-
tio sicut in gradu primo consanguinitatis, in linea recta &
transversa, ratio prohibitionis petitur ex turpitudine, quam
suapte natura commixtiones illæ important, ita & in gra-
dibus cæteris: v. g. in linea consanguinitatis transversa in-
æquali, in gradu secundo, qui inter gradus, in Levitico
prohibitos, remotissimus est, cur turpitudinem fororis pa-
tris tui reterege non debeas, non minus redditur ratio, ex
conditione rei substratæ petita, quam in aliis propinqui-
oribus gradibus, nempe quòd soror patris tui sit *caro pa-
tris*

tris tui. Cur filius patris non debeat accedere ad uxorem fratris ejus ad retegendam turpitudinem illius, redditur ratio: quia est uxor patris ipsius &c. quæ rationes supponunt, commixtiones consanguineorum & affinium etiam in his remotioribus gradibus esse per se turpes & abominabiles.

CXVI. Atque hæc *Bellarminus*, vi veritatis coactus, fatetur tandem in allegato *libr. de Matr. c. XXVII.* Nam in responsi. ad primum argumentum scribit expressè: *Omnia illa præcepta (Levitici) de gradibus cognationis naturalia esse aliquo modo. Nam certe propositionem illam generalem Lev. XIX. Ad proximam sanguinis sui nemo accedat; jus naturæ complecti, & ideo etiam in singulis præceptis repeti vocabulum turpitudinis, quia turpe sit cum cognata matrimonium contrahere, cum natura ipsa dictitet reverentiam quandam illis deberi, cum qua pugnet copula carnalis. Et quia Gentes illæ sine ullo delectu miscebantur consanguineis, peccasse eas haud dubie in singulis contra jus naturæ, & ideo merito punitas esse.*

CXVII. Quod autem addit, ea esse naturalia aliquo modo, nimirum si nude ac solitarie sumantur gradus cognationis, sine circumstantiis, quæ sufficiant ad matrimonia in illis gradibus honestanda; futile commentum est, quod etiam superius in explicatione legum naturalium tertii ordinis inculcaverat, & exemplo homicidii legisque de non occidendo confirmare vel illustrare conatus fuerat, sed ineptissime. Nam si præcepta *Lev. XIX. de gradibus cognationis & affinitatis* omnia eo modo naturalia sunt, quo naturale est præceptum quintum Decalogi: *Non occides*; fatendum utique est, quod absolute & simpliciter naturalia; & matrimonia etiam illis prohibita, absolute & simpliciter mala, turpia & abominabilia sint, nec ullis circumstantiis honestari & moraliter bona fieri possint. Præcepto quinto enim Decalogi pro-

prohibetur homicidium, privato ausu commissum, sicut etiam occidere, ex usu loquendi, est privato ausu aut privata vindictæ causa vitam alteri eripere. Non autem occidere vel homicida dicitur Princeps, cum sceleratos capitibus supplicio afficit; cum non ausu privato, vel ex privata vindicta id faciat, sed auctoritate publica, & ut is, qui Dei vicem gerit in terra, ejusque nomine justitiam administrat. Homicidium autem, ausu privato patratum, tam intrinsecè malum est, quam adulterum intrinsecè malum est. Potest quidem cædes hominis, à privato commissa, pro varietate circumstantiarum variare, & vel voluntaria, vel involuntaria reddi: v. g. si quis ex ignorantia occiderit hominem, quem feram esse opinabatur, si à tergo stantem, quem non putaverat ita propè adesse, securi percusserit, ut moriatur, si præter opinionem servum, quem castigare volebat, percusserit, ut moriatur, si servandæ vitæ causâ quempiam occiderit, limites inculpatæ tutelæ non egressus &c. tum ejusmodi circumstantiæ variæ mitigare quidem facinus, & ut ea poena, quâ homicidium dolosum, non vindicetur, efficere, non autem honestare illud & bonum reddere possunt.

CXVIII. *Bellarminus* forsan per intentionem finis homicidium, etiam privato ausu patratum, honestari & bonum reddi posse dicet, sicut superiori seculo *Sixtus V.* Pontifex non solum parricidium, a *Clemente*, ordinis Dominicani Monacho, in *Heinricum IV.* Galliarum Regem patratum, in Consistorio oratione præmeditata prolixè laudavit, idque operi assumptæ à Domino carnis, & resurrectionis ejusdem mysterio, ab *Habacuco* vate predicato, propter magnitudinem & rei admirationem comparavit, sed & in *Regicida* virtutem & rei animi robur & ferventem erga Deum amorem supra *Eleazarum* & *Juditam* extulit, referente *Ibano Hist. lib. XCV. fol. m. 302.* sed non absque per-

perpetua sui nominis & sedis Pontificiæ ignominia. Quicquid sit de intentione Regicidæ: cum mala facienda non sint, ut eveniant bona; parricidium voluntarium, à subito vel certè homine plebeio in Regem patratum, utique intrinsecè malum scelusq; nefarium fuit, quod nec per intentionem nec per alias circumstantias ullas excusari, nedum honestari potest. Neque *virtus*, sed nequitia in homine, neque *robur animi*, sed Satanica in malo obfirmatio fuit, qua facinus illud patrare ausus est, & patravit. Unde non præter rem *Thuanus* præposteram *Sixti* laudationem tanti sceleris *summæ insolentem*, & *pastorali moderatione indignam d. l. dixit*; prudenterque iudicavit, *interfuisse famæ ipsius Sixti ac sanctæ sedis dignitatis*, ut scriptum, quo laudationem sceleris nefandi publici juris fecerat, supprimeretur potiùs, quàm publicaretur.

CXIX. Sed quænam circumstantiæ tandem erunt, quæ nuptias, absolute malas & incestas, honestare & bonas efficere possint? an forsitan extrema necessitas? Sed hæc, aucto jam & per orbem propagato genere humano, ut extra hos cognationis & affinitatis gradus viri mulierum; & mulieres virorum delectum habere possint, locum non invenit. Præterea necessitas extrema conjugia, in se absolute mala & incesta, propriè loquendo, honestare non potest: est enim conjugii planè extrinseca; potest tamen conjuges à culpa incestus coram Deo excusare, quòd per eos non steterit, quò minus alia, in se non mala & incesta conjugia inirent. An nuptias incestas forsitan ignorantia propinquitatis, vel divitiæ, ditiones, regna, illarum interventu conjungenda, honestare possunt? Sed ignorantia etiam, si affectata non fuerit, excusare potest conjuges à culpa incestus, nuptias ipsas vero honestare, & ut in iis, post-

K

quam

quam error cognitus est, sine peccato perseverare liceat, præsertim in gradibus propinquioribus, efficere non potest: multò minus speratæ divitiæ, regna, quæ fortunæ bona, & contractui matrimoniali prorsus extrinseca sunt, matrimonium absolutè malum & incestum honestare & bonum reddere possunt. An fortè pecunia, quæ pro dispensatione solvitur, & absq; qua soluta dispensatio non impetratur, id potest? Sed hæc etiam ex censu bonorum fortunæ, & matrimonio prorsus extrinseca est, quæ ad explendam Pontificum avaritiam quidem facere, matrimonium verò, absolutè malum, honestare & bonum efficere non potest. Quæ ergo sunt tandem circumstantiæ illæ, nuptias, absolutè malas & incestas, honestantes? Nullæ, nullæ sunt, sicut etiam *Belarminus* nullas nominare potuit.

CXX. At, inquit quis, in legibus naturalibus dispensatio Magistratus non invenit locum. In legibus autem de gradibus consanguinitatis & affinitatis, *capite XIIII. Levitici* contentis, Magistratus apud nos etiam tum minimum dispensare potest, cum non amplius res integra, sed conjugium contractum & per benedictionem sacerdotalem consummatum est. Ita enim *Carpzovius in Jurispr. Consist. lib. II. Desinit. XCIX. Connubium*, inquit, *in gradibus affinitatis pariter & consanguinitatis, etiam jure divino prohibitis, contractum & per benedictionem sacerdotalem consummatum, rursus dissolvi non debet, & citat hanc in rem Joach. à Beust, Scabinus Lipsiensis, Bidenbachium, & Consistorium Dresdense &c. Permittere autem, ut in ejusmodi matrimonio contracto, & benedictione sacerdotali consummato, conjuges persistant, quid aliud est, quam in lege, illud prohibente, dispensare?*

CXXI. Resp. De omnibus conjugiiis, in prædictis consanguinitatis & affinitatis gradibus contractis, non dixerim, quod postquam benedictione sacerdotali consummatum ita sunt, dis-

sol

solvenda non sint, sicut & *Carpzovius d.l. de conjugii in linea*
recta inter ascendentes & descendentes, & in gradu primo li-
neæ transversæ id negat, eaque ob insigne & detestabile scan-
dalum, quod præbent, dirimenda esse censet. Neque præ-
ter causam. Quibus enim conjugii in cap. XX, Lev. capi-
tis supplicium expressè à Deo constitutum est, ea merito di-
rimuntur, non obstante, quod benedictione sacerdotali
confirmata sint. Inter alias enim hæc etiam de causâ con-
stitutum illis est capitis supplicium, quòd ita turpia & ab-
ominabilia sint, ut nefas sit conjuges in illis perseverare. Un-
de si certis de causis Magistratus pœnam mortuis illis remit-
tat, in conjugio detestabili tamen ut perseverent, permittere
non poterit. Definitioni Carpzovianæ igitur si conceden-
dus est locus, in illis saltem conjugii concedendus erit, qui-
bus in cap. XX, Lev. capitis supplicium constitutum non est:
enjusmodi sunt, quæ in consanguinitate gradu secundo lineæ
transversæ inæqualis, & in affinitate gradu primo lineæ
transversæ, nec non in gradu secundo ejusdem lineæ inæ-
qualis contracta & consummata sunt. In his enim casibus vi-
dentur conjuges per leges, in c. XIX, Lev. contentas, in conju-
gio contracto & consummato relinqui, & Magistratus pœnæ
arbitrariæ subjici, cum comminatione sterilitatis. Quod si fiat,
*tum *permittere*, ut conjuges in hujusmodi conjugii prohibi-*
tis perseverent, ex parte Magistratus, non idem erit, quod in
*legibus *Leviticæ XIX*, illa prohibentibus, dispensare, pro-*
priè quidem loquendo. Nam dispensatio propriè est legis,
quoad vim obligandi, relaxatio in his, quæ præcipit aut pro-
*hibet. Quibus autem conjugii prohibitis *Lev. XX*, capitis*
supplicium constitutum non est, ea ut postquam contracta &
consummata sunt, dirimantur, lege divina præcipi negat
**Carpzovius d.l. Et si*, inquiens, *Moyse vetat matrimonium in gra-*
*du prohibito; attamen de facto contractum & consummatum non dis-**

solvit, sed tantummodò pœnam addit: Portabunt, inquit, arabo iniquitatem eorum, & sine liberis morientur. Si ergo lege divina præceptum non est, ut hujus generis conjugia, postquam contracta & consummata sunt, dirimantur, Magistratus utique, permittens illos in conjugio, etsi lege divina prohibito, sub constituta certa pœna perseverare, non tam dispensat in lege divina, quàm in *litteræ legis præse*, exequiturque, quod *littera legis* continet. Quia autem conjugia illa etiam lege positiva Magistratus interdicta sunt, & quidem simpliciter, permissio illa hoc intuitu dispensationis rationem habere, & dispensatio dici potest, licet non tam in lege divina, quàm in lege positiva Magistratus.

CXXII. Fixum ergo immotumque manet, leges de gradibus consanguinitatis & affinitatis, *Lev. XIX.* expressas, omnes esse juris naturæ, in quibus contra id, quod prohibent, dispensare nemini mortalium convenit. Neque diversum evincunt quatuor argumenta *Bellarmini*, quæ *d. l. c. XXXIII.* in contrarium adfert. Primum enim, ex inæqualitate pœnarum, quæ *Lev. XX.* transgressoribus prædictarum legum constitutæ sunt, desumptum, planè infirmum est. Etsi enim ex inæqualitate pœnarum delictorum inæqualitas colligi potest, nulla tamen consequentiæ lege hinc inferri potest, delicta, quæ non iisdem aut æquè gravibus pœnis vindicantur, non esse contra jus naturæ. Nam furto etiam non æquè gravis pœna in lege divina constituta est, ut adulterio & homicidio. His enim capitis supplicium constitutum est; illi autem restitutio dupli, quadrupli, vel quincupli, pro diversitate circumstantiarum, *Exod. XXII. 1. & 4.* Et tamen furtum, fatebitur *Bellarmino*, non minus cum lege naturæ pugnans peccatum est, quàm adulterium & homicidium. Neque etiam necessarium est, ut pœna delicti, contra legem naturæ patrati, per legem naturæ determinetur, aut ut *communis ratio dicet apud omnes*

omnes homines, eandem justam poenam illius criminis, ut ibidem Bellarminus contendit. Non enim lex naturæ aut ratio communis apud omnes homines dicitur, eum, qui furatus est bovem, eumque maciavit aut vendidit, teneri quinque boves; illum verò, qui ovem furatus est, maciavitque aut vendidit, teneri quatuor oves restituere; ad restitutionem dupli denique teneri illam, si ablati s' b'os, vel asinus apud eum vivus inventus fuerit, quæ tamen pœnæ Exod. XXII, 1. & 4. furto, contra legem naturæ commisso, constitutæ sunt.

CXXIII. Ad secundum, petitur ab exemplis sanctorum, qui in gradibus Lev. XIX, postea prohibitis, matrimonia inierant, responderis breviter, de exemplis judicandum esse ex legibus, non contra de legibus ex exemplis. Sic ubi Patriarchæ matrimonia inierunt, quæ Lev. XXIX, postea legibus prohibita sunt, recte hinc colligitur, matrimonia illa non fuisse absque nuptiis; sicut ex vitio temporum, quibus vixerunt, & consuetudine Gentilium, cum quibus conversati sunt, suos novos Patres contraxerunt. Non autem colligi hinc potest, leges, quibus conjugia illa prohibentur non esse naturalis, præsertim si eas naturales esse, aliunde liquidò constat.

CXXIV. Ad tertium, Mosem Lev. XXIX, quædam conjugia prohibuisse, & alia permisisse in eodem gradu, negamus & pernegamus, asserimusq; contra, eum hoc ipso, quod prohibuit aliqua conjugia in gradu certo, prohibuisse etiam cætera omnia in eodem gradu, licet non expresse, implicite tamen, quod mox ostendetur pluribus.

CXXV. Ad quartum, ex lege deducenda fratris Deut. XXV, s. de sumtum, resp. legem hanc fuisse in ere positivam, populo judæico soli in eo tantum casu, quo frater absq; liberis decesserat, præscriptam ad conservandam distinctionem tribuum ac familiarum, cum primis propter genealogiam

giam Messia, ex tribu Juda, & posteritate Davidis oriundi, ut de ea certius constare posset. *¶* Ea vero lex indubiè annexam habuit dispensationem divinam in lege illa communi de non ducenda fratria, quà in illo speciali casu fratriam ducere permissum fuit, non obstante, quòd lex illa communis naturalis sit. Deum enim dispensare posse in omnibus gradibus, *Lev. XIX.* prohibitis, fatetur *Bellarminus d. 1. c. XXVII. §. Tertio notandum*, in quibus tamen aliquos, jure naturæ prohibitos, contineri, docet ipse statim sub initium illius capituli. Non ergo repugnat, legem de non ducenda fratria esse naturalem, & Deum certo in casu dispensare in illa, vel diversum præcipere. Quòd & exemplo furti patet. Furtum enim, fatente *Bellarmino*, jure naturæ prohibitum est: & tamen Deus concessit Israëlitis, ex Ægypto in terram promissam reversuris, ut vasa aurea & argentea ab Ægyptiis commodato acciperent, & secum auferrent, *Exod. XII. 35.* Sed hæc pluribus prosequi, præsentis nostri instituti non est.

CXXXVI. Utrum verò ad solas personas, in Levitico expressas, leges illæ restringendæ? an verò ad alias, illis quidem non expressas, gradibus tamen consanguinitatis aut affinitatis iisdem sese attingentes, extendendæ sint? quæstio est, inter modernos etiam Theologos & Jurconsultos controversa, quibusdam in illam, aliis in hac partem descendentibus.

CXXXVII. Pro parte posteriori militat, quòd lex generalis: *Nemo ad ullarum carnem carnis sue accedat, ad retegendam nuditatem ejus; cui leges speciales, in Levitico expressæ, omnes velut fundamentum superstruuntur, non tantum procedit de personis, nominatim expressis, sed etiam de aliis, æquè distantibus personis & gradibus. Verba admodum sunt emphatica: אִשָּׁרָה אֶת־כָּל־בָּשָׂרָה אֶת־כָּל־בָּשָׂרָה אֶת־כָּל־בָּשָׂרָה ad omnem carnem carnis sue, vel, ut alii reddunt, ad omnem propinquam carnis sue non accedet quisquam: quibus prohibitionis fundamentum præcisè constituitur in*

carne

carne carnis, sive in propinquitate carnis; & sub omni carne carnis, sive sub omni propinqua carnis non possunt non omnes comprehendere personæ, inter quas eadem est propinquitas carnis, quæ est inter personas, ibidem in legibus specialibus nominatim expressas: v. g. quâ ratione noverca caro sive propinqua carnis privigni sui est, ea ratione etiam privigna est caro sive propinqua carnis vitrici sui: illa enim est caro sive propinqua carnis privigni, quia est una caro cum patre illius, & hæc similiter est caro sive propinqua carnis vitrici, quia vitricus est una caro cum ejus matre. Si ergo propterea non licet privigno ducere novercam, quia est caro sive propinqua carnis ipsius; propterea etiam vitrico non licet ducere privignam suam, quia hæc quoque est caro sive propinqua carnis ipsius, vi regulæ universalis: Nemo ad omnem carnem sive propinquam carnis suæ accedat, ad retegendam turpitudinem ejus. Rursum qua ratione quis est caro sive propinquus carnis suæ amitæ vel materteræ, ea ratione etiam fœmella est caro sive propinqua carnis patruï sui: ille autem est caro sive propinquus carnis amitæ & materteræ suæ; quia est caro patris sui, aut caro matris sui, qui sunt una caro cum amitâ aut matertera ipsius; & hæc similiter est caro sive propinqua carnis patruï sui, quia est caro patris sui, qui est una caro cum ipsius patruo. Si ergo propterea non licet filio patris aut matris ducere amitam vel materteram suam, quia hæc est caro sive propinqua patris aut matris suæ: etiam filiæ patris non licet nubere patruo suo, quia patruus ejus æquæ est caro sive æquæ propinquus patris ipsius, vi legis ejusdem: *Nemo ad ullam carnem sive propinquam carnis suæ accedat.* Item qua ratione filius patris est caro sive propinquus carnis uxoris patruï sui, ea ratione etiam filia matris est caro sive propinqua carnis mariti materteræ ejus: ille autem est caro sive propinquus carnis

uxo-

uxoris patruī sui, quia hæc est una caro cum patruo ejus, qui est caro sive propinquus patris ipsius; & hæc similiter est caro sive propinqua carnis mariti matertera sua, quia hic est una caro cum matertera ejus, quæ est caro sive propinqua matris ipsius. Si ergo filio patris propterea non licet uxorem patruī sui ducere, quia hæc est una caro cum patruo ipsius, qui est caro patris ejus; etiam filia matris non licet nubere marito matertera sua; quia hic est caro una cum matertera ejus, quæ est caro sive propinqua matris ipsius, vi ejusdem legis universalis: *Nemo ad ullam carnem sive propinquam carnis sue accedat.* &c. & sic in cæteris omnibus personis, quarum eadem graduum propinquitas est cum illis, quæ in Levitico nominatim expressæ sunt, res habet.

CXXVIII. Sed ad hæc excipitur, uxorem mariti esse filio fratris ipsius loco matris, atque sic illo natura superiorem; sicut autem matrem filio, ut marito subesse, eique parere, contra naturam est, ita contra naturam etiam esse, viduam defuncti mariti nubere filio fratris ejus, & illi, velut marito, subesse, eiq; parere: Secus autem rem habere cum filia matris & marito matertera sua. Illam enim esse hoc natura inferiorem, ut contra naturam non sit, illam subesse huic, ut marito, eique parere.

CXXIX. Verùm hæc exceptio difficultatem non tollit, Primùm enim fundamentum adæquatum legum de gradibus prohibitis constituit Scriptura in propinquitate carnis, quam non tollit respectus ille inæqualis inter uxorem patruī ad filium fratris ejus, & inter maritum matertera ad filiam matris ejus, sed non obstante, quod illa matris; hæc filia sustinet rationem, tam propinqua est hæc marito matertera sua, quam propinquus ille est uxori patruī sui. Et quia expressa sunt verba Dei: *Ad omnem propinquam carnis sue nemo accedat;* adhuc manet, nuptias inter partes utrasque æquæ jure divino esse in-

se interdictas. Deinde in linea recta inter avum & neptem ex filio aut filia non idem est respectus, qui est inter nepotem & aviam; cum nepoti avia loco matris; avus verò nepti loco patris sit, & tamen inter illas personas prohibentur nuptiæ expressè, v. 10. inter has non expressè, sed tantum per analogiam, ob eandem graduum distantiam. Et in linea transversa inter filiam patris & patruum non est idem respectus, qui est inter filium patris & amitam ejus; cum hæc illo natura superior & loco matris; illa natura eo inferior & loco filia sit; & tamen inter personas utrasque æquè prohibentur nuptiæ v. 13. 14. non sanè ob paritatem respectus superioritatis; hic enim, uti patet, planè diversus est; sed ob solam propinquitatem carnis. Tertio quemadmodum filius patris sui uxori patris sui eam debet reverentiam, quam debet patruo suo, ita & filia patris sui marito amitæ suæ eam debet reverentiam, quam per naturam debet amitæ sive forori patris sui. Quamvis verò non sit contra naturam, filiam subjici patri, vel alteri, qui ipsi patris loco est, sicut contra naturam est matrem vel quæ loco matris est, subjici filio, aut qui ei loco filii est, est tamen contra naturalem reverentiam, verecundiam & pudorem, retegere turpitudinem ejus, cui vel illa loco filia, vel hic loco filii est. Tam enim inverecundum & turpe est, filiam retegere turpitudinem patris, vel ejus, qui ei loco patris est, quam inverecundum & turpe est, filium retegere turpitudinem matris vel ejus, quæ ei loco matris est. Quemadmodum ergo in prohibitione certorum graduum principaliter propinquitatis, & quæ hinc natura provenit, verecundiæ, quam alicujus superioritatis aut inferioritatis habetur ratio, ita superioritatis defectus nudus in femella ratio infirmior est, quam quæ nuptias inter ipsam & patruum ejus à macula incestus liberare, aut quò minus illud generale prohibitionum fundamentum: *Quilibet ad omnem propinquam carnis suæ ne accedat*, universaliter de omnibus

bus æquæ propinquis personis procedat, impedire possit. Quarto quemadmodum contra naturam est matrem vel quæ loco matris est, subjici filio, vel ei, qui ipsi loco filii est, in actibus & officiis conjugalibus, ita contra naturam est filiam, vel quæ loco filiæ est, exæquari patri vel ei qui ipsi loco patris est, in actibus & officiis conjugalibus: cum hæc non minus patri & ei, quem loco patris reveretur; quàm ille matri & ei, quam loco matris reveretur, natura subesse debeat. Sed hæc rationes prohibitionis secundariae sunt, & fluunt demum ex propinquitate carnis. Ratio primaria & adæquata constituitur à DEO & natura in ipsa propinquitate carnis, quæ ubi eadem est, ibi eadem lex valeat necessum est, ut ut in cæteris non omnimoda æqualitas inveniatur.

CXXX. Par ratio est in linea transversa affinitatis, gradu primo. Quemadmodum fratri non licet sui defuncti fratris viduæ turpitudinem retegere v. 16. ita nec viduo defunctæ uxoris suæ sororem ducere, ejusque turpitudinem retegere licet; ob æqualem utrinque propinquitatem. Quàm enim propinquus est frater demortui fratris relicte uxori, tam propinquus est viduus suæ defunctæ uxoris sorori; & quemadmodum contra naturalem pudorem est retegere turpitudinem uxoris, quam frater tuus, qui tecum caro unius carnis est, retexit, tam est contra naturalem pudorem retegere turpitudinem mulieris, cujus sororem, quæ cum ea unius carnis caro est, retexisti.

CXXXI. Sed ad hæc excipiunt nonnulli, I, tempore Mosis, quo prædictæ leges matrimoniales populo Israëlítico præscriptæ & promulgatæ sunt, computationem graduum consanguinitatis & affinitatis non fuisse in usu. II. Prohiberi personas, eodem gradu distantes, v. g. amitam sive patris sororem, & materteram sive sororem matris, ne cum nepote ex fratre aut sorore ineant matrimonium, quem tamen uno
&

& eodem consanguinitatis gradu attingunt. Potuisset autem prohibitio unius sufficere, si non solæ personæ, nominatim expressæ, sed etiam aliæ, in eodem gradu se attingentes, legibus illis à matrimonio prohiberentur.

CXXXII. Verùm hæ etiam exceptiones futes sunt. Et ad priorem quidem resp. legem generalem, *Lev. XI. 6.* prohibentem, ne quis *ad ullam propinquam carnis sue accedat* &c. prohibere utique nuptias inter omnes personas, inter quas talis est propinquitas carnis, qualis postea in legibus specialibus determinata est, sive personæ illæ nominatim expressæ sint, sive minus. Quæ propinquitas uti reapse, & nemine cogitante datur, & omni tempore cum ipsa personarum generatione, aut cum contractis nuptiis cœpit, ita omni tempore ab humano intellectu cognosci & computari potuit, fundamento cognitionis & computationis in ipsâ naturâ animadverso, ut ut modi illi computandi illam per gradus, in jure Civili & Canonico traditi, recentiores sint, & Mosis tempore in usu non fuerint. Ad posteriorem verò dicimus, sufficere quidem potuisse prohibitionem nuptiarum cum nepote ex sorore, nec simpliciter necessarium fuisse, ut utræque expressè prohiberentur: cum ex unis prohibitis facile potuisset intelligi, alteras etiam esse prohibitas, ob paritatem propinquitatis. Quod autem utrasque DEUS expressè prohibuit, majoris perspicuitatis causâ, ut omnis ignorantia prætextus tolleretur, factum esse videtur. Alias insuper rationes adfert *B. Gerhardus in L. de Conj. pag. 413.* ubi videantur.

CXXXIII. Sed plus satis de gradibus consanguinitatis & affinitatis, jure naturali & divino prohibitis. Quæ de gradibus mero jure humano prohibitis hic dici poterant, cum nihil habeant difficultatis, brevitatis studio nunc sicco pede præterimus.

CXXXIV. Finis, cujus causa per se conjugium est,
L 2 isque

isque proximus, duplex est. Unus, procreatio sobolis, sive generatio liberorum. Alter mutuum in vita adjutorium.

CXXXV. Priorem finem per se proximè intendi per conjugium, facile patet. Conjugium enim per se & sua intrinseca natura est conjunctio maris & fœminæ in unam carnem. Hæc autem illorum conjunctio per se proximè ordinatur ad generationem prolis. Quamobrem etiam Deus in prima statim conjugii institutione eum novellis conjugibus inculcavit per benedictionem, iis impertitam: *Crescite, inquit, & multiplicamini, & replete terram, Gen. I. 28.*

CXXXVI. Ad posteriorem similiter conjugium per se proximè ordinari, æquè facile ex natura conjugii intelligitur. Junguntur enim vinculo conjugali conjuges in unam carnem, ut alter alterum velut suam carnem, curet, & mutuò se adjuvent in re familiari, in educatione liberorum, & in vita tota. Atque hunc Conjugii finem expressit DEUS, quando fœminam ex costa viri ædificaturus, dixit: *Non est bonum, hominem esse solum: faciam ei adjutorium, quod sit cor am ipso, Gen. II. 18.*

CXXXVII. Finis conjugii remotus est, ut seminarium sit Reipublicæ & Ecclesiæ, & generatione prolis utrique nova accedant membra, ad illarum conservationem & propagationem.

CXXXVIII. Præter illos, jam post lapsum, datur alius Conjugii finis, itidem propinquus, sed per accidens, ut scilicet iis, qui se continere non possunt, sit remedium contra vagas libidines & illicitas cupiditates. Quò digitum intendit Paulus I. Cor. VII. 2. *Propter supra (viranda) inquit, suam quisque uxorem habeat, & suum quasque virum habeat. Et v. 9. Si se non continent, ineamt matrimonium: nam melius est matrimonium inire, quàm uri.*

CXXXIX. Dico hunc finem per accidens: quia per accidens est, quòd homo in peccatum prolapsus & per lapsum

supra

inor-

inordinatis concupiscentiæ moribus obnoxius factus est, Conjugioque, velut remedio adversus libidinem vagam & pravam concupiscentiam eget. Quod si in primæva integritate perstitisset, Conjugio quidem; non tamen huic fini locus fuisset.

CXL. Loquimur autem de fine, non quem conjuges intendunt, sed quem conjugium ipsum, vel potius Deus & natura per illud intendit. Non enim quem finem ipsum conjugium, vel DEUS & natura per conjugium per se aut per accidens intendit, eum ipsi etiam Conjuges semper sic intendunt, sed quandoque fit, ut quem DEUS & natura vel non, vel per accidens saltem intendit, Conjuges præposterè intendant per se & primò. Ineunt enim interdum conjugium voluptatis causa, & ad explendam suam libidinem, procreationem liberorum nec intendentes nec volentes: interdum verò vitæ ex mutuo adjutorio benè degendæ causa, non propter generationem liberorum. Qua de re benè Lutherus in *Com. in C. XXV. Gen. Tom. II. fol. 252.* Conjuges, qui honestè contrahunt, & cohabitant, diversos fines, sed raro prolem spectant. Primus gradus conjugum eorum est, qui querunt prolem, & idè hoc vitæ genus appetunt, ut fiant parentes: quanquam etiam peccatum originis accedit, tamen illa est principalis causa. Hi quidem sunt Angeli collatione aliorum, qui cupiunt uti conjugio ad generationem. Eorum exiguus admodum est numerus &c. Secundus gradus eorum est, qui ducunt uxores vitandæ fornicationis causâ, non averfantur aut oderunt prolem, sed principalis eorum finis est, ut castè & pudicè vivant. Hi quoque sunt boni, sed non sunt pares primis &c. Tertius gradus est eorum, qui appetunt uxores tantum voluptatis causâ, quibus non est curæ proles, sed mollitè & suaviter vivere volunt, & habere pulcrâ puellam, quæ se oblectent. Quartus gradus est eorum, qui ducunt vetulas & dominas propter opes & gloriam. Illis det Deus calicem passionis, ut Bernhardus loquitur: quia simpliciter

quarunt opes & gloriam, non generationem prolis, & tamen non sunt reprobandi, propter reverentiam & gloriam nuptiarum.

CXLI. Sed de fine per se & per accidens Conjugii non est judicandum ex intentione horum illorumve conjugum, sed ex eo, quod ipsum conjugium, vel quod DEUS & natura per conjugium per se aut per accidens intendit. Neque etiam audiendi sunt, qui dicunt, initio quidem, cum augendum esset genus humanum, & terra replenda, Conjugii finem per se & principalem fuisse procreationem sobolis; non autem jam genere humano aucto & per orbem terrarum propagato. Quemadmodum enim aucto & per orbem terrarum propagato genere humano, Conjugium non desit per se & sua natura esse conjunctio maris & foeminae in unam carnem, ita nec desit per se & sua natura ordinari ad generationem prolis.


CXLII. Ex hisce de Conjugii causis, efficiente, formali, materiali & finali ita expeditis, definitio Conjugii talis tradi potest. *Conjugium est maris unius & unius foeminae indissolubilis conjunctio, juxta divinam institutionem ex mutuo utriusque consensu nata, ad generationem prolis & mutuum vitae adjutorium. Quae omnes complectitur causas.*

CXLIII. Causa sive ratio formalis conjugii continetur in conjunctione maris & foeminae indissolubili, sumpta voce conjunctionis non pro actu conjungendi: hic enim habet se ex parte causae efficientis, & consistit in utriusque conjugis consensu mutuo; sed pro conjungendorum statu, qui in mutua, eaque perpetua obligatione ad fidem & officia conjugalia consistit. Qua de re actum est supra in thes. XXV. & seqq. Causa efficiens insinuat partim per institutionem divinam, partim per mutuum maris & foeminae Consensum. *Institutio divina enim habet se ex parte causae efficientis primae, quae Deus est, & conjugium instituit; consensus autem mutuus habet se*

ex

ex parte causæ efficientis secundæ, maris scilicet & sceminæ, qui matrimonium contrahunt, estque ipsa causæ efficientis secundæ causalitas, ut supra *th. V. & seqq.* ostensum. Materialem causam constituunt *unus mas & scemina una, spectati ut partes, vinculo conjugali jungendæ.* Videatur supra *thes. XLVII.* Finale denique causam constituunt *procreatio sobolis & mutuum vite adjutorium.* Tertii finis, qui est *sortatio vitanda,* mentionem heic non facimus. Non enim convenit conjugio per se, sed per accidens, ut ostensum, & propterea ad declarandam ejus naturam nihil facit.

Et tantum hac vice.



87

ex parte caula efficiendis: maris scilicet & terrarum
 partium in omnibus contrariis, et per tota caula efficiendis
 terrarum caulas, ut supra in N. & A. ostentum. Mare
 in hunc mundum consistit ex duobus partibus, scilicet
 parte orientali, quae dicitur Indica, et parte
 occidentali, quae dicitur Atlantica. In parte
 orientali dicitur caula consistit ex duobus
 & partibus, scilicet orientali, quae dicitur
 caula, mentionem hinc non facimus. In parte
 occidentali dicitur caula, quae dicitur
 caula ad declarandum quod hanc in nihil facit.
 Et tantum hac vice.



5
01 A 6592

ULB Halle 3
003 106 357



Vd 17
1380.







24

DE
CONJUGIO
THESES THEOLOGICÆ

Ex
JOHANNIS MUSÆI, S.S. TH. D.
& in Academia Jenensi Prof. P.

Prælectionibus,
publicis & privatis,
desumptæ, & uberius deductæ,

Quas,
sub ejusdem præsidio,
ventilationi publica submittit

M. JOHANNES Beland / Verdenfis,

ad d. Mart. Ao. M. DC. LXXV.

In auditorio Theologico.

J E N Æ,

Typis JOHANNIS JACOBI BAUHOFERI, 1702.

